
6
2 L
5





CASTI INNOCENTIS
ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM

DE

SACRO ET PUBLICO APUD ETHNICOS

PICTARUM TABULARUM
CULTU

ADVERSUS RECENTIORES GRÆCOS

DISSERTATIO.









VENETIIS
Apud PETRUM VALVASENSEM.



MDCCLIII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

D. FELICI HUBERTO CARACCIOLO

LATERANENSIUM CANONICORUM ABBATI EX-GENERALI.





CASTUS INNOCENS ANSALDUS,
Ordinis Prædicatorum
F.



JAMDIU est, PATER REVERENDISSIME, *ex quo tuarum Ego in admirationem virtutum raptus, meorum aliquem laborum fructum Tibi consecrandum constitueram; dolebamque vehementer, sero adeo ejusmodi officium præstare potuisse; præsertim quum aliquam Tu semper studiorum meorum rationem habuisse videaris. Itaque tres ante annos Dissertationem scripsi* de Profectione Alexandri Magni

Hierosolyma adversus Vandalæum; *eo sane consilio, ut & factum Religioni decorum vindicarem, & apertum prodiret tandem aliquando studii erga Te mei testimonium. Illo in Opere, exscripta Flavii Josephi, de profectione Hierosolymitana Alexandri, narratione, subjectisque Vandalæi Oppositionibus, quarum princeps Ethnicorum Scriptorum erat illo de itinere silentium, hoc haud officere veritati illius narrationis ostendebam. Veterum inde in rem meam Effata proferebam, agebamque de consilio Vandalæi, & de somnio Alexandri, de Judæorum occursu, Regisque ingressu Hierosolyma. Fuse æque dixeram quî potuerit Alexander Pontificis in lamina, Dei nomen adorare, eidemque Hierosolymitano in Templo sacrificia offerre. Demonstraveram, Judæos revera in societatem solum ascitos fuisse ab Alexandro, cujus itineris Hierosolymitani Epocham reliqua Regis cum historia contuleram: Nonnulla addideram Hierosolymitano de Oraculo & Jaddo; nonulla de discrimine narrationem inter Flavii & Aristæanam; huic enim evertendæ illam oppugnaverat Vandalæus; aliqua adjeceram de profectione Alexandri ad Oraculum Ammonis; aliqua denique de ceteris, quæ ad Hierosolymitanam Regis profectionem confirmandam maxime conferre videbantur. Erant hæc,* Pater Reverendissime, *summa Operis Capita Tibi nuncupandi; quod quum & doctis Viris, quorum judicio illud subjeceram, & publicis etiam fuisset, meique Ordinis Censoribus probatum, mox in lucem proditurum videbatur; quare me voti compotem demum factum arbitrabar: Ast, ut sunt semper res Mortalium incertæ,*

illud

illud qualecumque Opusculum, dum inter negligentissimas versatur Typographorum manus, sive eorum socordia, sive aliorum malitia, adeo evanuit prorsus & periit, ut nulla potuerit adhuc mea, nulla Amicorum indagine recuperari. Hanc sane jacturam mihi acerbam fuisse fateor, PATER REVERENDISSIME, *non ob Operis dignitatem; novi enim quam exigui ponderis sint res omnes meæ; sed quod quum nullo pacto restituere illud possem, nullo ejus mea inter Adversaria reliquo fragmento aut vestigio; ea de caussa ereptam mihi intelligerem idoneam æque cultus erga Te mei significandi, studiorumque meorum ornandorum occasionem. Quid enim faustum fortunatumque magis, quid magis decorum evenire mihi poterat, quam mearum in fronte Elucubrationum insculpere Nomen illustre tuum, quod Cives non modo nostri, aut Ordinis tui Viri, sed exteræ quoque Nationes, ceterorumque Viri Ordinum impense venerantur, celebrantque? Non enim in Te incliti modo Nobilitatem Generis, aut optimum admiramur animum, aut mores virtute præditos, aut Studiorum amorem, Sapientiamque singulari cum prudentia conjunctam, aut amplissimam demum, qua apud Tuos ornatus es, Dignitatem; sed miram potius perfectamque eorum omnium complexionem. Utinam ego vero,* PATER OPTIME & PRÆCLARISSIME, *aliqua pollerem dicendi facultate, qua aut Caracciolæ tuæ Gentis antiquitatem & præstantiam, aut Naturæ ornamenta tuæ, aut Religionem in Deum, comitatem in honestos, lenitatem in omnes celebrare tuam possem: utinam possem cumulata prosequi oratione Virtutum tuarum de-*

cora, resque domi forisque abs Te gestas, quibus Placentinæ hujus tuæ omnium celeberrimæ Sancti Augustini Canoniæ, & Ordinis cui præfuisti universi, gloriam longe lateque protulisti; quibusque Patriæ addidisti nostræ immortale profecto decus atque sempiternum. Verum, neque ipse ea sum dicendi vi excultus, ut Summa hæc splendide magnificeque, & pro dignitate valeam pertractare; neque Tu eo esse soles animo & consilio, ut ista Tibi memorari patiaris, meritas frequens laudes debitosque honores aversato, ut in posterioribus contigit illustrissimi tui Ordinis Comitiis, in quibus quum de continuando in Te supremo omnium regimine ageretur, maluisti ad alium tantam transferri Dignitatem, quam iis morem gerere, qui eandem Tibi rursus vindicare satagebant; qua equidem in re spectatissimum præbuisti verecundi prorsus moderatique animi argumentum. Ejusmodi vero quum sis, Opusculum de profectione Alexandri Hierosolyma, *jure & merito deperditum dolebam, ob una deperditam illud Tibi tanto Viro offerendi sortem; quam tamen iterum nancisci conatus sum vix absoluta mea hac* de Sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu, adversus recentiores Græcos Dissertatione, *quam Tibi*, PATER REVERENDISSIME, *pro veteri formula, do, dico, & dedico; quare, ut constantem meam tuas colendi Virtutes, ita intelligere omnes possint constantiorem tuam Litteras fovendi sacras voluntatem.*

INDEX

INDEX CAPITUM.

ERRA-

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revifione, ed Approbazione del P. F. *Paolo Tommafo Manuelli* Inquifitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Cafti Innocentis Anfaldi Ordinis Prædicatorum De Sacro, & publico apud Ethnicos Pictarum Tabularum Cultu adverfus recentiores Græcos Differtatio*; non v' effer cofa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteftato del Segretario Noftro, niente contro Prencipi, e buoni coftumi, concediamo Licenza a *Pietro Valvafenfe* Stampator di Venezia, che poffi effer ftampato, offervando gli ordini in materia di Stampe, e prefentando le folite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Giugno 1753.

[Barbon Morofini Kav. Proc. Riff.
[Alvife Mocenigo 4. Kav. Proc. Riff.

Regiftrato in Libro a Carte 14. al Num. 93.
Gio: Girolamo Zuccato Segr.

Adi 5. Luglio 1753.
Regiftr. nel Mag. Eccel. degl'Efecutor. contro la Beftemmia.
Alvife Legrenzi Segr.

Pag.	lin.	ERRATA.	CORRIGE.
2.	33.	Stelladius	Helladius
4.	42.	*Rellonius*	*Bellonius*
17.	19.	*Afides*	*Apides*
24.	11.	*facta*	*factas*
24.	30.	*Reyerus*	*Beyerus*
25.	1.	incitatæ	imitaiæ
25.	13.	*Hae*	*Hæ*
28.	17.	teftimonio	teftimonia
30.	22.	*affimilantiis*	*affimilant iis*
33.	7.	*colligebantur*	*cogitabantur*
33.	8.	*Samfius*	*Samius*
35.	20.	ante	arte
35.	31.	fabrefacti	fabrefacto
37.	3.	diverfis	diverfi
45.	4.	Statius	Statuis
45.	34.	*factum*	*fatum*
46.	10.	*cinxiffe*	*pinxiffe*
46.	31.	imaginatione	imaginationi
53.	24.	onore	honore
55.	10.	*ope*	*opes*
56.	30.	quærebatur	querebatur
63.	37.	quod	quo
66.	5.	*propagatis*	*propugnatis*
66.	38.	Sculptura	Scalptura
68.	36.	*pictis*	*picti*
70.	31.	animoque	animofque
83.	41.	*ἀναχίνμενον*	*ἀνακείμενον*
88.	36.	illæ	illa
89.	32.	feciffe	factam
91.	4.	*Differit*.	*Dixerit?*
95.	17.	antiquiffimus	antiquiffimis
97.	10.	*quæ*	*qui*
97.	14.	*artis*	*actis*
98.	24.	nifi	nonnifi
102.	29.	Tabulam	Tabularum
109.	15.	*Θυρεαιος*	*Θυραῖοι*
109.	20.	*τετυμωμένα*	*τετυπωμένα*
109.	25.	Qua	Quare
111.	31.	imitari	imitati
113.	5.	aliquo	aliquo jure
115.	12.	confpicieban-tur	confpiciebant
115.	35.	fine	five
116.	28.	*Rema*,	*Bema*,
116.	33.	*προ..υνήματος*	*προσκυνήματος*
120.	15.	*interaicti*	*interdici*
121.	23.	erecta	eruta
121.	24.	adverfusque	adverfus quæ
125.	9.	fibi	fibi
128.	23.	hodierno	hodierna



CAPUT I.

De recentiorum odio Græcorum in Statuas Signaque, & Simulacra Latinorum Sacra.



IRARI sane necesse est Græcos qui in Divorum cultu cum Ecclesia Romana conveniunt, pictasque Christi, Deiparæ, & Beatorum Imagines majore quam nos cultu & religione prosequuntur, adeo aversari tamen sculptas eorundem Christi, Virginis, & Sanctorum Imagines, ut Latinos illi perinde atque Idololatras ea de caussa traducant, ritumque nostrum ceu cultum idololatricum aversentur. Res, inquam, mira, vixque fide digna, nisi eam myriades hominum, qui Orientalibus in regionibus versati sunt, voce testati essent, & probatissimi Scriptores confirm.-ent. Smithius in Epistola de Græcæ Ecclesiæ hodierno statu, Londini edita, hæc habet ejusmodi de re: *Imagines sculptas, præcipue vero prominentiores, tanto animi fastidio rejiciunt Græci, ut in Latinos hac in re, quasi iis cum Ethnicis plane convenisset, excandeant invehanturque, Divum Johannem Damascenum, quem inter præcipuos Ecclesiarum Orientalium Doctores merito numerandum arbitrantur, secuti*. Jacobus Goar, Vir Ordinis nostri præclarissimus, in Notis ad Rituale Græcorum, æque scribit: *Tantum exhibent Græci sacris Imaginibus cultum, ut non minus exemplo sint, quam admirationi, si tamen pictæ sint, & mera Sanctorum lineamenta. A Sculptilibus autem, tamquam ab Idolis abhorrent, de quibus Davidicum illud: Os habent & non loquentur &c. concinere non verentur: media tamen planaque Sculptura in Sacris Imaginibus formandis, eoquod ad picturam acce-*

dat, *utuntur*. Jobus Ludolphus, Commentario in Historiam Æthiopicam, Lib. III. Cap. 6. n. 52. de discrimine agens pictas inter Imagines, & solidas, sive Simulacra, idem tradit his verbis: *Hanc differentiam Æthiopes exactissime observant*, *tantoque odio feruntur erga Imagines solidas*, *ex metallo*, *ligno*, *saxo*, *cera*, *argilla*, *vel quavis alia materia factas*, *ut ea expresse Idola nominent*. *Nam in exilium proficiscentibus Patribus Societatis*, *omnia Signa etiam Beatæ Virginis Mariæ* (*tanti illius Cultores!*) *confregerunt*, *atque contriverunt*. *Plane Græcorum more*, *qui magna invectiva utuntur in Latinorum Imagines*, *ac dicta Psalmi* 113. *ad eas applicant*, *& de iis haud secus ac de Simulacris Gentium ratiocinantur*. *Nibilominus profundam reverentiam pictis suis Imaginibus exhibent*. Ipsorum vero testimoniis Græcorum illo de odio certiores nos facit Philadelphus Libycus (ita se recens Auctor, Calogeriana in Collectione nuper editus appellare voluit) qui hæc habet in Dissertatione sua de Sacris Imaginibus, parte secunda: *Græci Eminentissimo Claudio Guisio Cardinali Lotharingio per Zachariam Cretensem Responsione VIII. responderunt*: *Non habemus Sculptilia*, *quum id nobis a Deiferis Patribus traditum non sit*: *maxime vero probibentibus colere hæc*, *& adorare*; *& audi Deiparentem David*, *in XC. Psalmo ita dicentem*: *Erubescant omnes adorantes Sculptilia*, *& gloriantes in Simulacris suis*; *atque iterum David in Psalmo CXXXIV. Simulacra Gentium*. *Itaque Gentes habent Simulacra & Sculptilia*. *Quapropter Sancta Carthaginensis Synodus de Idolis ita loquitur in Capite suo LIX. Quoad Reliquias Idolorum*, *quas deleri opus est*, *rogare oportet religiosissimos Imperatores*, *ut monumenta Simulacrorum per omnem Africam omnino jubeant rescindi*. *Et rursus in Canone Synodus dicit*: *Quod ad reliquias idolorum eradicandas attinet*, *placuit pariter petere a religiosissimis Imperatoribus*, *ut reliquiæ Idololatriæ non tantum in Statuis*, *sed etiam in quibuslibet locis omnino deleantur*. Quibus ex omnibus abunde nos erudiri consequitur Philadelphus Græcos a Sculptilibus abhorruisse; qua utique in sententia ante ipsum versati sunt David Chytræus in Oratione de Statu Ecclesiarum in Græcia, Asia, Africa, &c. Ricautusque in *Historia hodierni status Ecclesiarum Græcæ & Armenæ*, Stelladius in *statu præsenti Ecclesiæ Græcæ*, sexcentique alii, quos infinitum esset in medium producere.

Prætermittere heic non placet tamen Virum Cl. Joannem Lamium, in Scholiis ad interrogationes XII. Cardinalis a Lotharingia mox laudati, ac ad eas Græcorum Responsiones in *Deliciis Eruditorum*, hæc habentem: *A Sculptilibus Græci*, *tamquam ab Idolis abhorrent*, *ut observat etiam Goarius in Euchologium*: *sed depictas Imagines Sanctorum mirum in modum devenerantur*, *ut idem animadvertit*. *Insuper & anaglypha colunt*, *quod ad Picturam quodammodo accedant*. *Quam-*

quam

quam & integre sculpta antiquitus veneratos esse, *colligere est ex Paulo Diacono*, *Libro XXI. Histor.*. *Immo & hodienum id fieri adserere videtur Allatius adversus Hottingerum*, *Cap.* XIII. Prætermittere id, inquam, nolui, quod duo Vir ille adjiciat, quorum unum in examen revocandum erit in loco, alterum in præsentia.

Et fane, dum Polemici Eterodoxi Imaginum cultum oppugnantes, ad odium confugere Græcorum solent adversus ea, de quibus agimus, Signa & Simulacra; ejusmodi autem ab objecto se se facile Orthodoxi Polemici expediunt regerentes, non Fidei hoc, sed caput esse Disciplinæ, ut ajunt, exterioris, & ad ritum pertinens; quum nobiscum Orientales in cultu Sanctarum Imaginum consentiant, Tabulas imo pictas majore quam Latini veneratione prosequantur. Hoc, inquam, responsi genus, quum cordatioribus Theologis nostris esse satis videatur, eoque pacto egregie solutum Protestantium argumentum: Leo tamen Allatius ultro progredi conatus est, odium Græcorum adversus Statuas pene inficiatus, Sculptilia imo quædam ceu a Græcis culta in medium proferens, quamvis, ut quisque intelliget, publico communique cultu minime profecto consecrata. Ipsius testimonium autem exhibere placet, ne illud prætereuntes, iis quibus ejus Opera probantur, aërem nos verberare videamur.

Ita ille igitur in Libro scribit, cui titulum fecit: *Johannes Henricus Hottingerus fraudis & imposturæ manifestæ convictus a Leone Allatio*, Cap. XIII. in quo sic Adversarium alloquitur: *Pergis:* Sculptilia ad usum religiosum Græci non prostituunt. *Contrarium video*, *& Tibi*, *qui numquam tale vidisti*, *credam? Horum aspectum capitali odio aversaris. Per manus omnium*, *eæque*, *uti singularia*, *in veneratione habentur innumeræ apud Principes Viros tabellæ & Cruces ex ligno aliaque pretiosa materia*, *in quibus mirabili artificio & operosa subtilitate*, *quam non ita facile oculis distinxeris*, *divina nostræ Redemptionis Mysteria*, *Martyrum fortissimæ pro Christo ad necem usque dimicationes*, *supra nominibus eadem arte expressis apte sciteque insculptæ per universam Græciam & Italiam cernuntur*, *& inter Cimelia rariora conservantur. Et in Græcia præcipue non solum summa Religione præditi*, *sed Sæculares etiam e collo appensas deferunt ac venerantur*, *cæloque efformatorum Sanctorum auxilia apud Deum*, *pro rebus feliciter agendis*, *& regno cælesti demerendo implorant*, *& invocant*, *quorum opem proficuam sæpe sæpius experiuntur. Et*, *ne nimius sim in re clarissima*, *qui renuntiato sæculo se se Deo devoverunt in monte Sancto* (*antiquis Athos est*) *simili operi cum tempus precum non obstat*, *studiose incumbunt*, *quos alii aliorum Monasteriorum Proceres æmulantur*; *ita ut jam fere tota Græcia similibus Sculptilibus referta sit. Quare fatearis necesse est*, *sermones te habere de rebus quas nescias*, *ideoque nullam fidem mereri*. Hactenus Allatius, quem fallere

 voluisse

voluisse videt quisque; neque enim quæstio est de Sculptilibus anaglyptico opere expressis, quæque ad Picturam proxime accedunt, qualia adfert hic Græcus, sed de Sculptilibus per se stantibus, de Statuis, deque Simulacris, quibus revera non utuntur in Sacris Orientales, quæque odio habent plusquam Vatiniano.

Ad eandem tamen se pene convertit Allatius artem, in eodem amplioribus verbis versatus argumento, Lib. III. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua Consensione, Cap. XV. ita adversus Chytræum scribens: *Sed non diu stat, verum pergit ludere Chytræus, demitque Græcis sculptarum Imaginum adorationem. Sculptarum Imaginum duo sunt genera: alterum, quod per se stat, omni ex parte excavatum; & suo corpore ab aliis rebus sejuncto commendabile; quales sunt Antiquorum Statuæ ex marmore, metallo, aut alia materia confectæ: alterum est, quod in lapide ipso, aut solido corpore inciditur, non tamen ab eo divisum, sed parte ea, qua videri voluit Artifex protuberans plus minusve, ut eidem Artifici placuit. Utrumque hoc genus sculptarum Imaginum a Græcis in veneratione haberi, ipsa experientia docet. Et ut de Crucibus taceam, quas fere omnes non pictas, sed lignis in eum modum efformatis, maxima in veneratione habent & adorandas exponunt; & dum supplices aliquid a Deo exorant, circumferunt; neque his contenti, in nonnullis Christum ipsum appensum, a Cruce separatum, ut in Italia fieri solet, summa animi demissione, cum ipsa Cruce colunt. Adde, in Officio Parasceves, dum Christum ipsum veluti ad Sepulturam comitantur, Christi corpus undequaque efformatum sculptumque circumducere per Urbes, & adorare. Verum tamen est rara hæc esse, nec ita frequentia: quod in altero Sculpturæ genere aliter se habet; nam ubique tabellæ, modo ex metallo, sæpissime etiam ex ligno, exculptis Sanctorum Imaginibus, nullo non in loco adorationi objiciuntur. Eas montis Athi Monachi concinno & admirabili artificio inter alios in tabulis ligneis sculpunt, & aliis communicant. Vidi ipse in parvula tabella omnia vitæ mysteria adeo subtiliter effigiata, cum literis non minus delicate excisis, quibus mysteria indicantur, ut non tantum mihi, sed aliis etiam Spectatoribus, dubium fuerit quodnam admirabilius esset an ligni natura, quæ minutissimas illas incisas lineolas ferre posset, an manuum industria, quæ adeo leviter in incidendo moveretur, an acies oculorum incisoris, qui, sine confusione, adeo minuta commensuraret, an tandem instrumentorum acies & vigor, qui sine aliorum jactura tam altos sulcos spissosque impresserit, & strigium cava & striarum angulos circumduxerit. Cruces etiam, quas vel domi tenent, vel appensas collo gestant, eodem incidendi artificio factæ sunt. Similibus imaginibus plenæ sunt Urbes, plena Templa, plenæ ipsæ privatorum ædes; & Tu, Chytræe, audes tam aperte mentiri, asserereque Græcos non habere sculptas Imagines? Petrus Rel-*

lonius,

lonius, *Observationum Libro I. Cap. XLI. narrat*; *Graecos cereis & accensis lampadibus in suis Templis Statuas atque picturas instar Latinorum habere*. Alio denique in loco, ubi nempe de Octava agit Synodo, scribit hic græcus Auctor: *Quid enim refert, si in tanta hominum turba, & magno Fidelium numero idem sentientium, unus aliquis sit adeo pertinax, & perditæ mentis, ut etiam Salvatoris Imaginem latinis tantum inscriptam literis adorare renuat, & a Sculptilibus tamquam ab Idolis abhorreat?* Hucusque iterum Allatius, a quo Adversarios minime oppugnari intelligere imperiti etiam possunt. Sculptilia siquidem in lapide ipso, aut solido quocumque corpore incisa, non ab eo divisa tamen, sed ea tantum parte, quam videri voluit Artifex, plus minusve, ut ipsi placuit, protuberantia, ejusmodi, inquam, Sculptilia minime faciunt ad rem. Agitur etenim de Sculptilibus per se stantibus, omnique ex parte excavatis, & suo corpore ab aliis rebus sejuncto commendabilibus; agitur de Signis, de Simulacris, de Statuis Divorum, cultu publico donatis, quas utique in medium adducere apud Græcos non potuit Allatius. Nam quod de Cruce adjicit, id Sculptilis genus non est cum Statuis confundendum; tum quod, notum satis est, fuisse Iconoclastas etiam nonnullos, qui sculptas non solum, sed pictas etiam omnes omnino Imagines aversati sunt, Cruces tamen coluêre, ut fuse ostendit Petavius in *Libro de Incarnatione*; tum etiam quod Cruces non habent similitudinem viventis; quæ ratio non minima erat, cur a Statuis Græci abhorrerent, & abhorreant; quare in aliquo fortasse loco consuetudo obtinuit illa sculptum Christi mortui corpus circumducendi & adorandi. Quum igitur veras Christi, Deiparæ, Divorumque Statuas apud Græcos cultas memorare non valeat Allatius, cur græca fide mentitum vult Chytræum ceterosque, qui rem adeo notam & receptissimam testantur?

Revera non caruêre defensoribus Hottingerus & Chytræus; Elias siquidem Vejelius, in Opere præsertim, cui titulum fecit: *Defensio Exercitationis Historico-Theologicæ de Ecclesia Græcanica hodierna adversus Refutationem ejusdem a Seue Chio Romæ adornatam*, Articulo IX. §. 2. scribit: *Silentio tamen non omnino prætereundæ Quæstiones duæ: prima, an sculptas Græci venerentur Imagines? de qua pro Chytræo aliquid dicendum est, ut videas fidem me ubique liberare. Ex fide testium oculatorum, in Oratione sua recitaverat Chytræus:* magna pars Vulgi & Sacerdotum, pietatis summam in cultu Mariæ Virginis & Imaginum (quas non sculptas, sed pictas solummodo habent) collocat. *Hic Allatius duo sculptarum Imaginum facit genera: unum quod per se, vel suo corpore stat: alterum quod in solido corpore inciditur. Prius genus ipsemet Allatius dicit esse rarum, in altero vero genere id aliter se habere. Institutum Chytræi, de quo supra, animum mentiendi ab optimo Viro*

alie-

alienissimum fuisse, *satis evincit. Si mentitus est Chytræus; cur Possevinus maledicentissimus obtrectator eum propterea non redarguit? Cur Stevartius pag.* 470. *ad Calec. post Chytræum narrationem Chytræanam confirmavit? cur Goar, qui tot annos in Græcia vixit, & diligenter omnia scrutatus est, etiam post Libri tui lectionem scripsit*, Græcos a sculptis Imaginibus, tamquam ab Idolis, abhorrere; mediam tantum planamque Sculpturam, eo quod ad picturam accedat, eos admittere, *non protuberantem, ut tu dicis? Cur igitur vel tu, Stevarti, vel tu, Goar, audes tam aperte cum Chytræo mentiri, asserereque Græcos non habere sculptas Imagines? Vel cur tu, Allati, tam aperte audes mentiri, habere Græcos sculptas & protuberantes Imagines? Tu fortassis loqueris de Italo-Græcis tuis, de Statuis, non quas ipsi in Templis collocant, sed quas unus alterve, paucique adeo privatim possident, vel quæstus gratia vobis divendunt. Sed pro Chytræo jam respondit Goar; suosque Græcos hac in parte consuetudinem Ecclesiæ veteris observare, satis aperte innuit Cap. XV. Metrophanes Critopulus, Græcus æque ac Allatius, diutius inter Græcos innutritus quam Allatius, Patriarchalis quondam Protosyngelus, quod Allatius non est, Papa Alexandrinus, quod Allatius numquam fuit, ita scribens*: τύτων ὖν εἰκόνας ἡ ἐκκλησία ἐποίει ὖ γλυπτὰς, ὐδὲ λαξευτὰς, ἀλλὰ γραπτὰς μόνον &c. Horum itaque (*Christi, Beatæ Virginis, & Angelorum*) imagines Ecclesia non sculptiles faciebat, neque excisas, sed pictas tantum; *quemadmodum addiscere licet ex Eusebio & Irenæo, Viris antiquissimis, nec non multis Sanctis Patribus Ecclesiæ primitivæ*. Ita Vejelius, qui hac in re convenire profecto cum Viris omnibus horum rituum peritissimis videtur.

Ab Allatii autem ætate ad nostra usque tempora, nemo, quem noverim, inventus est, qui de Græcorum adversus Statuas odio dubitaverit. Verum en alterum e cineribus Allatii disputatorem, Josephum nempe Simonium Assemanum, qui in Opere, cui titulus: *Kalendaria Ecclesiæ universæ*, in quibus tum ex vetustis marmoribus, tum ex Codicibus, Tabulis parietinis, pictis, scriptis, scalptisque, Sanctorum nomina & Imagines, & festi per annum dies Ecclesiarum Orientis & Occidentis præmissis uniuscujusque Ecclesiæ originibus, recensentur, describuntur, notisque illustrantur, Tom. I. Cap. V. Part. I. adversus Svicerum & Kieslingium Imagines tam pictas, quam sculptas & exstantes egregie se ostensurum imaginatus, ita scribit: *Quinta Kieslingii assertio*: Græci id Romanensibus vitio ponunt, quod illi sine omni discrimine & fusiles & ligneas (addere debuerat & marmoreas) recipiunt Sanctorum Imagines, quum ipsi pictas tantum colendas esse statuant; fusiles autem, & ligneas rejiciant. *Eadem est Sviceri in suo Thesauro pag.* 1022. *in Sanctam Romanam Ecclesiam calumnia, & citat pro Græcorum quorumdam errore Metrophanem Critopulum*.

lum. Hanc Suiceri & Kieslingii calumniam jam supra refutavimus, producto pro Græcis Allatii testimonio. Sed quid Allatio opus est, quum idipsum & Græci Patres testentur, & ipsi recentiores Græci hac in re Patribus consentiant? Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, Antirrhetico III. adversus Iconomachos scripserat: Quæ enim ab initio, & a Christianis tum in auro, tum in argento fabrefacta sunt, vocanturque Phylacteria, & quæ in collo appensa, & per pectus demissa portamus nos Christiani ad custodiendam & muniendam vitam nostram, & servandas animas & corpora nostra &c. *Tertullianus in Libro de Pudicitia adversus Ecclesiam Orthodoxam Cap.* 7. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrum ne Christiano an Ethnico peccatori de restitutione conlineet. *Et Cap.* 10. Ille si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis. *Christum Dominum in boni Pastoris, ovem perditam in humero reportantis, effigie antiqui Fideles pingebant, idest sculpebant in sacris Calicibus: neque picturam istam, sed ejus ad pænitentes applicationem Tertullianus reprehendit. Hujusmodi picturarum genus non modo in argento, marmore, & ære, sed etiam in vitri fragmentis, frequentissimum, illustratur a Senatore Bonarotio, in Opere de fragmentis antiquorum Vasorum vitreorum repertis in Cæmeteriis Urbis: & a Severano & Aringhio in Roma Subterranea; ubi infinita producuntur exempla Imaginum Christi in forma Agni, vel in forma Pastoris ovem in humero portantis. Sed & hunc pingendi, sive sculpendi Imaginem Christi modum olim apud Græcos usurpatum fuisse, patet primo ex his Eusebii verbis, Libro III. Cap.* 48. *de Vita Constantini Magni de Imagine Pastoris in foro Constantinopolitano posita:* Videas etiam adhuc licet apud fontes in medio foro posita Pastoris præclara symbola, illis, qui sacris Literis eruditi sunt, satis cognita. *Secundo comprobatur ex Canone LXXXI. Concilii Trullani.* In nonnullis venerabilium Imaginum picturis, Agnus, qui digito Præcursoris demonstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumptus est, verum nobis Agnum per legem Christum Deum mortuum præmonstrans: *quibus verbis antiquissima consuetudo apud Græcos Christum in forma Agni depingendi demonstratur; quanquam ibidem Patres græci eam depingendi consuetudinem in melius (ut putabant) reformari volentes, mandarunt ut non amplius depingeretur Christus in forma Agni, sed Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in Imaginibus deinceps pro veteri Agno erigi & depingi jusserunt. Quare Claudius Taurinensis Episcopus postmodum blateravit adversus omnem Latinam Ecclesiam:* Isti perversorum Dogmatum Auctores, agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare. *Tertio demum ostenditur non pictas tantum, sed etiam sculptas Imagines in vasis sacris apud Græcos fuisse usurpatas ex hisce Sancti Stephani Monachi Auxentiani ad Basilium*

lium

hium Tricacabum, & Constantinum Nacoliensem Episcopum, Pseudosynodi Iconoclastarum sub Constantino Copronymo Primates verbis: An non quum in Concilio vestro sederitis, libellus vobis a piis Viris oblatus est, qui Episcopum quemdam eo nomine deferret, quod lancem sanctam, in qua Christi & Dei Genitricis imagines sculptæ erant, contrivisset? Vos autem contritionis illius crimen Imaginibus adscribentes, ipsum quidem omni crimine solvistis, pios autem Viros ab Ecclesiæ cœtu proscripsistis, Idolorum vindices eos appellantes: An non sacram supellectilem sanctis Imaginibus exornatam contempsistis? *En sacra apud Græcos vasa partim sculptis, partim pictis aut textis Imaginibus exornata. Celeberrima est illa ænea statua, divinis postmodum miraculis illustrata, quam Christo Domino Cæsareæ Philippi posuit Syrophœnissa, testibus Eusebio & Sozomeno: nec minus celebris altera statua a Constantino Magno posita, de qua Georgius Codinus, de Originibus Constantinopolitanis pag.* 40. *Editionis Parisiensis. In Monasteriis Athoniticis præter Imagines depictas, alias etiam sculptas, & musivo sive plumario opere elaboratas recenset Joannes Comnenus de Monasterio Iberorum, apud Montfauconium in Palæographia Græca, pag.* 473. *his verbis:* Habet intus in media Ecclesia quatuor maximas columnas, ac in Choro utroque tres minores: & in Ciborio proxime sito quatuor alias columnas porphyreticas & crustationem in circuitu splendidissimam, & supra illam aulæa in muro opere plumario, *καὶ ἐπάνωθεν ταύτης τζίνια εἰς τὸν τοῖχον ὡραιοπλουμιστά*: superius vero picturam perjucundam. In fenestris vitreæ tabellæ multæ prægrandes sunt. Lampas istic habetur spectabilis multorum luminum. Pulpita, postica, sedes, Hegumeni, tessellis osseis, & ex ligno sentephii ornata sunt. *μέσα εἰς τὸ ἅγιον βῆμα ἔχει κυβυλίον ἐπάνωθεν τῆς ἁγίας τραπέζης γλυπτὸν καὶ περικεχρυσωμένον*, supra sacram mensam est coronis insculpta, ac deaurata. *Et pag.* 466. *de Monasterio Ratopedii*: Supra Narthecis portam est Dominus Christus musivo opere depictus, similiterque Annunciatio Deiparæ. *Ut sileam Imagines Sanctorum, quas Athonitæ Monachi concinno & admirabili artificio in tabulis ligneis sculpunt, & aliis communicant; ut demum nihil dicam de Sacri Concilii Nicæni secundi Decreto a Græcis probato, quo definitum est, sicut figuram pretiosæ & vivificæ Crucis, ita venerabiles & sanctas Imagines proponendas, tam de coloribus & tessellis, quam ex alia materia.* Hucusque Assemanus, cujus immensum testimonium det mihi obsecro facilis Lector hanc veniam quod in medium magna cum mea suaque molestia protulerim, quum eo nil inveniri evidentius posse credam, certissime ut intelligamus recentiores Græcos nullum habere in Sacris usum Statuarum. Proh Dei & hominum fidem! quæ apud homines ejusmodi ratio disputandi! Ajunt sexcenti præclarissimi Scriptores odio habita a Græcis sacra etiam

Simu-

Simulacra. Negant Allatius tantum & Assemanus. Sed quibus argumentis, quibus monumentis, quibus exemplis? Audistin? Imagines scilicet pictas adferunt, Imagines apud Græcos in Calicibus & Vasis sculptas, phylacteria, anaglypha, lanceas, tabellas, aut Statuas mediis in foris erectas? Hæccine sunt Statuæ, quas Græci recentiores colunt? hæccine sunt Statuæ sacræ, de quibus agitur in præsens? Ejusmodi ne, quam habent suorum Græci lectorum, ratio? ejusmodi ne modus oppugnandi Eterodoxos? Consequamur igitur oportet, stare revera odium, quod universi adfirmant, Græcorum adversus Statuas, falsosque esse Allatium & Assemanum, quum videamus ipsos de Sculptilibus verba facere opere anaglyptico concinnatis, deque prostipis agere Imaginibus; ceteros ex opposito, qui Statuas ab Orientalibus odio habitas esse dicunt, ad fusa id referre Signa & simulacra, quæ per se stant, suoque sunt ab aliis corpore sejuncta. Cur enim Allatiis & Assemanis credemus potius, quam infinitis majorum Gentium Scriptoribus, qui inter Græcos versati sunt, aut Græci fuere & ipsi, majorique quam Allatius & Assemanus sinceritate scripsere? Si tot in libris suam hac in re fatentur Græci superstitionem, cur eos sine monumentis nos, & sine caussa liberabimus? En qua ratione fingunt ad Leonem Isauricum Imperatorem scripsisse Germanum Patriarcham recentiores Græci: Ἀκȣσόν μȣ, ὦ Βασιλεῦ κράτιστε, ἄλλο εἶναι τὸ εἴδωλον, ϗ ἄλλο ἡ εἰκών. διότι εἴδωλον εἶναι, ϗ λέγεται τὸ ξύλον, ὅπȣ εἶναι γλυμένον, ϗ ἔχει ὁμοίωμα ἄνδρὸς ϗ γυναικὸς, ἐπὶ τὸ χωρίζειν τὰ σκέλη τȣ. ϗ εἰκόνα εἶναι ἐκείνη, ὅπȣ δὲν δύνεται νὰ πιάσῃς, μὲ τὸ χέρι σȣ χώρεια, μηδὲ χέρια, μηδὲ ποδάρεια, μηδὲ ἄλλον μέλος. διὰ τȣ̃το ϗ ἡμεῖς, ἐὰν εἶναι κὰν ἕνα ὁμοίωμα τȣ̃ χριςȣ̃ ϗ τῶν Ἁγίων, καὶ χωρίζειν τὰ μέλη τȣ, δὲν τὸ προσκυνȣ̃μεν, ἐπειδὴ ἔχει τύπον εἰδώλȣ. *Accipe nunc Rex potentissime, & scito, aliud Idolum esse, aliud Imaginem. Idolum, illud dicitur & est, quod sculptum est ex ligno, & similitudinem viri habet & mulieris, pedibusque suis separatis stat. Imago contra, ea est, cujus manus pedesque & membra cetera tuis complecti manibus non possis: quare si vel Christi Beatorumque Imagines aliquæ ita comparatæ forent, ut seorsum complecti manu nostra possent, eas sane, ceu figura & forma Idoli præditas, nunquam coleremus.* Ita apud P. Ricardum S. J. in Opere inscripto Τάργα τῆς πίστεως, Κεφ. 13. ceu ex Apostoli Ziglaræ Compendio Historico, aque ex Damasceni Studitæ Serm. XXV. sui Thesauri. Quæ verba quidem, esto Germani Patriarchæ non sint, opinionem & odium tamen Græcorum adversus sculptas Latinorum Imagines evincunt.

Sane quum vel ipse Allatius fateatur, aliquos esse Græcos, qui a Statuis etiam sacris, tamquam ab Idolis abhorreant, idque aliquorum recentiorum apud Græcos errorem appellet Assemanus; ne cum reis

innocentes aliquos confunderem, animus mihi erat in fronte Libri adnotare, differere me velle *contra nonnullos recentiores Græcos*; qua tamen de re, antequam deliberarem, confulendum duxi Virum Sodalitii noftri eximium, celeberrimum videlicet Mamachium, ipfum quoque Græcum, qui me de hoc facto reddere certiorem poffet. Quum ad ipfum vero meas hoc de argumento dediffem litteras, ille, qua eft benignitate, Idibus Novembris MDCCLI. ftatim hoc pacto refpondit: *Relate ad cultum Statuarum apud Græcos, quicquid Allatius & Affemanus contra dicant, certo fcias hodiernos Græcos (nifi triginta aut quadraginta vix tot inter myriadas, & illos quidem latinizantes, excipias) in ea verfari fententia coli ut non debeant, nosque eas profequutos religiofo cultu; Idololatras apertiffime ab ipfis effe appellatos. Equidem a patria puer quatuordecim annorum difceffi; verum quia & ætate illa eram ad hæc prævestiganda propenfiffimus, cum ab eorum Sacerdotibus, tum etiam a Monachis, a mulieribus, a pueris & ab omnis conditionis viris femper audivi Idololatriæ poftulandos effe Latinos ob cultum Statuarum. Eft illis fane hoc adagium, receptum prorfus atque familiare, nullam fcilicet Imaginem colendam effe, cujus nafum duobus poffis digitis complecti. Quo fignificare volunt Statuas & anaglypha præfertim extuberantia venerari fas minime effe. Itaque fi in fronte Libri fcribere velis differere Te adverfus majorem Græcorum partem, per me licet. Ipfe tamen fatius cenfeo adverfus Græcos omnes & abfolute difputandum*. Hæc ad me Mamachius, cujus fapientia & auctoritate moveri quam maxime & foleo & debeo. Revera infinitus effem, fi omnes enumerarem Scriptores magni folum nominis, qui de ritu Græcorum a ritu diverfo Latinorum, quod ad Imagines fpectat, verba faciunt. Lexicon Univerfale Trevultinum, ad Vocem *Imago*, *Græci*, habet, *adeo Imagines venerantur, ut ad eos relate profani dici poffint Latinorum religiofiores. Sculptilia damnant tamen, & Anaglypha, quæ ceu Idola Gentium refpiciunt. Ipfe Joannes Damafcenus Imaginum Sanctarum magnus vindex, de Sculptilibus Chriftianis tamen, haud aliter quam de Simulacris Ethnicis verba facit*. Et fane Libro IV. de Fide Orthodoxa, Cap. XVI. ubi Imaginum cultum facrarum propugnat Sanctus ille Pater, hæc habet tamen: *Divina autem Scriptura eos infimulat, qui adorant Sculptilia*. Η' δὲ θεία γραφὴ κατηγορεῖ τῶν προσκυνούντων τοῖς γλυπτοῖς. Ad quæ ita etiam nofter Lequienius in Notis: *Cum Græcis quoad Imaginum reverentiam conveniunt aliæ Chriftianorum Societates. Ceterum nullæ apud eos in Templis Statuæ funt, fed pictæ dumtaxat effigies, vel ad fummum proftipæ*. Mabillonius Præfatione in Sæculum IV. Ordinis S. Benedicti, §. III. qui de cultu eft Sacrarum Imaginum, relato ea de re Nicænæ Synodi Decreto, hæc fubjicit: *His omnino verbis continetur feptimæ Synodi*

De-

Decretum de colendis Imaginibus , in quo multa occurrunt observanda : Primum, nullam in eo fieri mentionem Statuarum, quas nondum usus ferebat ; imo neque ad hunc usque diem fert apud Græcos, sed planarum, seu pictarum, tessellatarumque Imaginum. Pompejus Sarnellus Episcopus Biseliæ, Tomo VII. Epistolarum Ecclesiasticarum, Epistola I. scribit: *Constans est Ecclesiæ Græcæ ritus in Imaginibus pingendis usque modo ad cingulum , ne ansam habeat mens humana aliquid minus decorum cogitandi . Quin nec Statuis utuntur Græci , sed solum anaglyphis , quæ tamen manibus contrectari non possint* . Quæ ad verbum repetit Dominicus Magrus in Notitia Vocabulorum Ecclesiasticorum ad vocem Εἰκών . Jobus Ludolphus , Commentario in Historiam Æthiopicam , Libro III. Cap. 5. scribit : *Habessini Imaginibus tantummodo pictis Mariam colunt*. In Annotatis ad Præloquium Enchiridii de Statu hodierno Græcorum a Christophoro Angelo Græco conscripti, curaque Georgii Fehlavii editi , hæc de studio legimus Moscovitarum erga effigies sacras: *Imagines depereunt , sic effuso amore ornant , & veneratione eas persequuntur , quas ideo habent in Templis suis innumeras , easque pictas (sculptas vel fusas rarissime videbis , aut nullas . Olearius refert , se unicam offendisse in quodam Sacello Moscuæ) Sanctorum denatorum , ut dicunt , imprimis autem Sancti Nicolai , magni Russorum Patroni* . Alexander autem Guagninus, de Religione agens Moscovitarum omniumque Ruthenorum, *Statuas nullas*, scribit, *in Templis venerantur, sed Divi Nicolai & Mariæ Virginis Imaginibus scrupos quosdam argenteos , coralia , & alias exuvias dono dederunt . Has quoque Picturas , tamquam Numinis aliquid habentes, religiose colunt , & quotannis in Dana fluvio bis abluunt, atque tandem cum magna pompa pristinum adducunt ad locum*. Quibus ex omnibus intelligas eos omnes, qui Latini ritus non sunt, aut Græcorum ritu utuntur, a cultu Statuarum publico abstinere; quod de Græcis generaliter, ut ajunt, acceptis, confirmant æque Beausobrius , in Dissertatione de Statua Paneadensi , *Tomo XIII. Bibliothecæ Germanicæ* , & Petrus Zornius , in *Historia Bibliorum pictorum ex Antiquitatibus Hebræorum & Christianorum illustrata , pag. 63. 150.* Quid plura ? Cardinalis Quirinus , ante non multos annos Archiepiscopus Corcyrensis , in Præfatione ad Enchiridium Græcorum , Benedictum XIII. P. M. laudibus ob id quoque cumulabat, *quod in ipsamet sua Archidiœcesi* (Beneventana) *egregie laboraverit , ut Græci ad eandem pertinentes , sacras Imagines anaglyptico opere fabrefactas , quas maxime abhorrebant , domi admitterent* . Si tantæ molis fuit efficere ut Græci ad Latinam Diœcesim pertinentes , Imagines anaglyptico opere fabricatas domi admitterent, animadvertendum relinquo, an Orientales Græci stantes per se Statuas recipere in Ecclesiis voluissent ; præsertim quod id contra eorum mores & ritum esse faten-

tur etiam qui de eorum in Simulacra odio tacent, Stevartius pag. 470. ad Calec. Lequienius, Mabillonius, infiniti alii egregii Catholici Scriptores quoque. De mente utique Joannis Damasceni dubitandum non est, uti & Zachariæ Cretensis, Metrophanis Critopuli, Ziglaræque Græcorum. Pauca hæc vero subjecimus, ne errorem imaginari perperam videamur, quem sine caussa oppugnemus.

CAPUT II.

Recriminationis via statuit Auctor oppugnandos Græcos, ostendendo, pictas Tabulas æque ac Simulacra in Scripturis vetitas fuisse, quod Ethnici suos etiam adorarent coloribus expressos Deos.

TAMETSI, juxta Orthodoxorum sententiam, me non lateat, Imagines omnes ex eorum per se esse genere, quæ ἀδιάφορα appellantur, & in potestate esse Ecclesiæ ut vel ea adhibeat, vel ableget, pro eo atque satius esse decreverit; neque animus mihi umquam fuerit notandi græcum ritum, aut Statuas apud illos inducendi, dum rerum in essentia Catholica cum Ecclesia convenientes, adiaphoro solum in ritu, quod ad factum spectat, Græci dissentire videantur, de quo litem agere puderet; ast tamen, quum a maledictis adversus nos abstinere iidem nolint docentes atque disputantes, heinc Ecclesiæ nostræ vindiciis elucubrationem hanc consecrandam decrevi, ea ratione tamen, ut novi etiam aliquid in medium adferrem. Itaque iis omnibus prætermissis, quæ Polemici vindicando sacrarum Imaginum usui proferre solent, quum Græci recentiores duobus præcipue se agi ostendant argumentis, quo Latinorum Statuas aversentur, Scripturarum verbis scilicet Sculptilia prohibentibus, usuque frequentissimo Simulacrorum apud Ethnicos; ita eadem ipsa methodo procedens, sacrarum verba Litterarum non minus quam Sculptilia, pictas vetare Tabulas ostendam; quæ *ad hominem* erit disputandi ratio; Ethnicosque, haud minus quam Sculptilia, suos pictis in Tabulis coluisse Deos testimoniis certissimis evincam; quo, recriminationis via, quæ tutior & facilior apud indoctos est, tandem consequar, Simulacra sacra a nobis culta, haberi non posse Ethnicismi reliquias, nisi de sacris etiam Tabulis id affirmetur, quas Græci impræsens vehementer colunt. Cur enim Ethnicismum redoleat oportet Statuarum sacrarum noster usus, quum illum non redoleat cultus Imaginum pictarum? Num quod Statuæ in moribus perpetuo Ethnicorum erant? At in moribus Ethnicorum erant quoque Tabulæ Deorum pictæ, ipsæque publico ritu cultæ; quare si mutato objecto idoneus haberi debet harum cultus, cur idem dici non poterit de Statuis Catholico ritu & sen-

ſenſu conſecratis ? Sed jam ad ſacrarum teſtimonia Scripturarum accedamus.

Celebre præceptum Exodi proſtat Cap. XX. his verbis : *Non facies tibi Sculptile, neque omnem ſimilitudinem* תמונה וכל , *quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles* אלהיך כי אנכי יהוה *quia ego ſum Dominus Deus tuus*. Poſterius hoc divini interdicti membrum, animam eſſe, ut ita loquar totius interdicti jam oſtenderunt probatiſſimi Auctores; prohibemur ſcilicet præter unum verum Deum, aliud quippiam ceu Deum, adorare, ſive ipſum per ſe ſe, ſive ejus imaginem, effigiem, ſtatuam, picturam, repræſentationem. Quin & ipſa ex littera id ſatis conſtat. Nedum enim prohibentur interdicto illo צלמים אלהים veneranda ſcilicet, ut Ethnici appellabant, Numina, expreſſæ Imagines, פסל Sculptile quodcumque, (quamvis פסל quod Vulgatus Interpres vertit *Sculptile*, ſignificet *Idolum ſive ſculptum, ſive conflatum, ſive pictum, ſive dolatum ſit*, ait Cornelius a Lapide, ſuo in Iſaiam Commentario, Cap. XL. 19.) צירים, aut quocumque alio appellabantur nomine Idola, quibus de vocibus fuſe Beyerus agit in *additamentis ad Caput III. Prolegomenon Seldeni de Diis Syris*; nedum, inquam, illa prohibentur allegato interdicto, verum & רמיונות ſimilitudinum quarumcumque, ſive צורות quarumcumque Imaginum adoratio. Vocem autem illam תמונה *picturam* aperte, ſive pictas Imagines denotare, evincit ejuſdem non modo additio ceteris Sculptilia, tituloſque & lapides ſignificantibus ; verum & Judæorum omnium interpretatio, vix aliud quam quod coloribus exprimitur, ipſa ſignificatum eſſe cogitantium.

Ut enim poſteriores Judæorum Magiſtros omittamus, parum fidei, uti apud nos ita apud Græcos etiam recentiores, habituros; quid veteres Judæi, quid Chriſtiani Patres, præcipue Orientales, Moſaico de præcepto & interdicto ſenſerint, primum videamus. Exodi verba XX. *Non facies tibi Sculptile*, תמונה וכל *neque omnem ſimilitudinem*, LXX. ita verterunt: *οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα*; quæ de pictura interpretatus ita vertit Philo, Libro de Legatione ad Cajum: *μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μὴ γραφήν*: *non Effigiem, non Simulacrum, non Picturam*; quare inde ſubjicit: *γραφικὴ καὶ πλαστικὴ βλασεραὶ δημιουργοί*. *Pictura & Fictura noxiæ Artifices*. In Libro autem, cui titulus: *Quis rerum divinarum hæres*; & in Libro de Decalogo ſcribit, *ſecundo Moyſis præcepto probiberi manufacta & Simulacra, Statuas, & univerſe quæcunque dicantur in templis, quorum Pictura & Fictorum ars noxiæ ſunt opifices*. Ὁ δὲ δεύτερον κεφάλαιον ἐστὶ πάντων ὅσα περὶ χειροχμήτων ἐνομοθετεῖτο, ὧν ἀγάλματα, καὶ ξόανα, καὶ συνόλως ἀφιδρύματα, ὧν γραφικὴ καὶ πλαστικὴ βλασεραὶ δημιουργοί, κατασκευάζειν

οὐκ

ὐκ ἐῶν. In Libro denique de Gygantibus ſcribit: *Moſes illas ſpecioſas & magni pretii artes Statuariam & Picturam a ſua Republica excluſit.* Ο῎ Μωσῆς τὰς δοκίμους καὶ γλαφυρὰς τέχνας ζωγραφίαν, καὶ ἀνδριαντοποιΐαν ἐκ τῆς καθ' αὐτὸν πολιτείας ἐξήλασε. Flavius Joſephus quoque præceptum ſive interdictum illud ita effert: ὁ δεύτερος κελεύη μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν. *Secundum præceptum jubet nullius animalis factam imaginem adorare*; quo ex dicendi modo arguit in Notis ad allegatum Exodi teſtimonium Joannes Clericus, *ætate Joſephi vetitas haberi Picturas a Judæis*, *quod*, ut idem animadvertit, *ſub animalium figuris Numina pingerent Gentiles ſua*, ut ex Plutarcho colligit, Libro de Iſide & Oſiride; γράφουσι καὶ ἱέρακι τὸν Θεὸν τοῦτον πολλάκις, *pingunt accipitre Deum hunc* (Oſirin) *ſæpe*. Sed hac de re mox; nunc enim de divini interdicti ſenſu, ex mente veterum Chriſtianorum.

Princeps omnium Origenes audiatur ita de Judæis loquens, Libro contra Celſum IV. *Apud quos nullum aliud Numen erat receptum, quam Deus hujus rerum Univerſitatis Præſes, procul ablegatis omnibus Imaginibus. Nam in Republica eorum nullus erat Pictor, neque Statuarius: Lege illos ex ea ejiciente, ne qua occaſio præberetur hominibus craſſis & indoctis imagines fabricandi, quibus attraherentur, & a Deo avocarentur ad terrena animi.* Παρ' οἷς οὐδὲν ἄλλο Θεὸς νενόμισται, ἢ ὁ ἐπὶ πᾶσι, καὶ οὐδεὶς τῶν εἰκόνας ποιούντων ἐπολιτεύετο. οὔτε γὰρ ζωγράφος, οὔτ' ἀγαλματοποιὸς ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν ἦν, ἐκβάλλοντος πάντας τοὺς τοιούτους ἀπ' αὐτῆς τοῦ νόμου. ἵνα μηδεμία πρόφασις ᾖ τῆς τῶν ἀγαλμάτων κατασκευῆς τοὺς ἀνοήτους τῶν ἀνθρώπων ἐπισπωμένης, καὶ καθελκούσης ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς γῆν τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς. Clemens etiam Alexandrinus, Libro Stromatum V. ita loquitur, ut ſecundum illud præceptum de picturis æque ac de Sculptilibus intelligendum eſſe cognoſcamus: *Pythagoras*, inquit, *præcipiebat non geſtandos annulos, neque iis inſcribendas Deorum imagines, ſicut olim Moſes diſerte Lege ſanxerat, nullam ſculptam, aut conflatam, aut fictam, aut pictam Imaginem faciendam: ne ſenſibilibus attendamus, & ad intelligibilia tranſeamus.* Δακτύλιον μὴ φορεῖν, μηδὲ εἰκόνας αὐτοῖς ἐγχαράσσειν Θεῶν, παρεγγυᾷ ὁ Πυθαγόρας, ὥσπερ Μωσῆς πρόπαλαι διαῤῥήδην ἐνομοθέτησε, μηδὲν δεῖν γλυπτὸν, ἢ χωνευτὸν, ἢ πλαστὸν, ἢ γραπτὸν ἄγαλμα τε καὶ ἀπεικόνισμα ποιεῖσθαι, ὡς μὴ τοῖς αἰσθητοῖς προσανέχωμεν, ἐπὶ δὲ τὰ νοητὰ μετίωμεν. Tertullianus, Libro contra Marcionem IV. Cap. 22. de eo agens, quod in monte, in quo transfiguratus erat Dominus, apparuerint Moſes & Elias, fuerintque agniti a Petro; *quomodo enim*, inquit, *Moyſen & Eliam cognoviſſet, niſi in Spiritu? Nec enim Imagines eorum vel Statuas Populus habuiſſet, & ſimilitudines, Lege prohibente*. Qua uſus animadverſione eſt Euthymius quoque, in Commentario ad Matthæi Cap. XXXIV.

Secun-

Secundum igitur præceptum, quo Sculptilia prohibentur, picturas etiam prohibere existimavere Patres veteres, & celebriores Judæi, quorum de odio adversus pictas Tabulas, quod pictis in Tabulis suos adorarent Deos Ethnici, dicemus in loco.

Nunc enim ostendendum magis est, Moysen præcepto, sive interdicto illo haud minus, imo fortasse magis, picturam respexisse quam Sculpturam ipsam. Nempe ad Ægyptiorum Idololatriam & Idola respexisse tunc præsertim Moysen, neminem futurum qui dubitabit, arbitramur. Ægyptios vero animalium Symbolis suos pinxisse & expressisse Deos monent probati magis & vetustiores Scriptores. Vidimus mox ex Plutarcho, ipsos *accipitre Osirin pingere solitos fuisse*. Herodotus autem in Euterpe, *Isidis imago*, inquit, *fœmina quum sit, cornua tamen Bovis habet, qua ratione Jovem pingunt*. Τὸ γὰρ τῆς Ἴσιδος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον βουκερών ἐστὶ καθάπερ τὴν Ἰοῦν γράφουσι. Lucanus Libro IX. Pharsaliæ:

Multas volucresque ferasque
Ægypti posuere Deos.

Quo cum facit Lactantius, Libro Divinarum Institutionum II. qui de Ægyptiorum Idololatria loquens; *portentosissimas*, inquit, *animalium figuras, quas colerent, commenti sunt*. Et Lib. Divinar. Institutionum V. de eisdem rursus, *qui turpissimas bestias & pecudum figuras colunt*. Tacitus Libro Historiarum V. *Ægyptii pleraque animalia, effigiesque compositas venerantur*. Et Pomponius Mela de Situ Orbis Lib. I. Cap. 9. eisdem de populis scribit. *Colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia*. Quod posterius subsequutis fuit solum tamen temporibus, ut nos in *Vindiciis* ostendimus *religionis Josephi Patriarchæ adversus Basnagii criminationes*. Philostratus æque in Vita Apollonii, Libro VI. Cap. 9. hunc Ægyptiorum de figuris Deorum ita loquentem inducit: *Quanam disciplina compulsi, tam absurdas, ridiculasque Deorum Imagines, præter admodum paucas vestris hominibus colendas præbuistis? Paucæ namque atque admodum paucæ Deorum formæ conspiciuntur, quæ sapientiæ Divinitatisque ullum præseferant vestigium: in ceteris vero Templis irrationalium animalium, atque infamium potius, quam Deorum effigies coluntur. Pro Mercurio, Pallade, aut Apolline, immanium ferarum & avium Imagines honore & sacrificiis dignamini*. τί μαθόντες, ἄτοπα, καὶ γελοῖα θεῶν εἴδει παρὰ δεδώκατε τοῖς δεῦρο ἀνθρώποις, πλὴν ὀλίγων, ἄσοφως, καὶ θεοειδῶς ἵδρυται, τὰ λοιπὰ δὲ ὑμῶν ἱδία ζώων ἀλόκων, καὶ ἀδόξων τιμαὶ μᾶλλον, ἢ θεῶν φαίνονται. ἀντὶ Ἑρμοῦ τε, καὶ Ἀθηνᾶς, καὶ Ἀπόλλωνος, τὰ μὲν θηρία, καὶ τὰ ὄρνεα ζηλωτὰ δόξειν τῶν εἰκόνων. Illam vero ad Idololatriam alludit Apostolus ad Romanos I. ubi habet: *Qui quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei* ἐν ὁμοιώμα-

ὡμάτι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν, *in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*. Operæ pretium est animadvertere vocem illam Apostoli ἐν ὁμοιώματι *in similitudinem*. Nonne ipsissima est Mosaici ex Interpretatione LXX, Decreti & interdicti, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα; *neque similitudinem ullam?* Quam revera Picturam interpretantur Patres, Hebræorum Magistri, doctique omnes?

Neque sculpta modo, aut insculpta verius (quod ad picturam potius quam ad Sculpturam accessisset) sed picta fuisse illa animalia evincit non solum quod Plinius, Libro Historiæ Naturalis XXXV. refert, Ægyptios gloriari solitos, artem pingendi sex annorum millibus in Ægypto floruisse, antequam transiret ad Græcos; sed eruitur etiam ex Platone, Libro de Legibus II. hospitem quemdam Atheniensem, Cretensem Cliniam, & Megillum Lacedæmonium hisce loquentes inducente: Atheniensis Hospes: *Nunquid arbitramur, ubi Leges bene constitutæ sunt, aut in posterum ita erunt, in disciplinis jocisque Musarum, eam poeticis fore licentiam, ut quicquid Poetam delectet vel rythmo, vel cantu, vel verbo poetico, idem & docere ei liceat: & bene institutorum Civium pueros, adolescentesque in choreis quæcumque contingit vel ad virtutem, vel ad vitium flectere?* Clinia Cretensis: *Præter rationem id est.* Megillus Lacedæmonius: *Certe.* Atheniensis: *Et isthuc, ut breviter dicam, ubique fere, præterquam in Ægypto agere licet.* Clinias: *Quo autem pacto in Ægypto hanc legem sancitam esse dicis?* Atheniensis: *Mirum hoc quidem auditu est; nam id olim, ut mihi videtur, illi cognoverunt, oportere quod nunc nos dicimus, in Civitate juvenes bonis figuris & bonis cantibus assuescere. Quæ vero & qualia sint hujusmodi, in Sacris ab eis est institutum; & præter illa, neque Pictoribus, neque aliis figurarum & quorumcumque artificiorum fabris nova ulla licebat inducere, neque etiam excogitare alia, præter patria; neque hodie licet, aut in his, aut in universa musica. Quod si ea observares illis in locis, comperires a decem annorum millibus retro depicta vel expressa (nec vero eum numerum incertum pro certo pono, ut fert quotidiani sermonis consuetudo pæne dixerim, sed revera decem annorum millia significo) iis quæ nunc ab Artificibus fiunt neque pulchriora esse, neque turpiora, sed eadem arte confecta.* ταξάμενοι δὲ ταῦτα ἅττα ἐστὶ καὶ ὁποῖ᾽ ἅττα, ἀπέφηναν ἐν τοῖς ἱεροῖς. Καὶ παρὰ ταῦτα οὐκ ἐξῆν οὔτε ζωγράφοις, οὔτ᾽ ἄλλοις ὅσοι σχήματα. καὶ ὁποῖ᾽ ἅττα ἀπεργάζονται, καινοτομεῖν, οὐδὲ ἐπινοεῖν ἄλλ᾽ ἅττα ἢ τὰ πάτρια, οὐδὲ νῦν ἔξεστιν, οὔτ᾽ ἐν τούτοις, οὔτ᾽ ἐν μουσικῇ ξυμπάσῃ. σκοπῶν δὲ εὑρήσεις αὐτόθι τὰ μυριοστὸν ἔτος γεγραμμένα, ἢ τετυπωμένα (οὐχ ὡς ἔπος εἰπεῖν μυριοστὸν, ἀλλ᾽ ὄντως) τῶν νῦν δεδημιουργημένων οὔτε τι καλλίονα, οὔτ᾽ αἰσχίω, τὴν αὐτὴν δὲ τέχνην ἀπειργασμένα. Lucianus æque, *de Sacrificiis*, illas animalium figuras, quæ Ægyptios repræsentabant

tabant Deos, quum descripsisset, subjicit: *Heinc est ut Ægyptiorum Dii nunc etiam eas obtineant formas, quas id temporis assumpserant; illæ siquidem formæ diligenter depictæ, idque ante annos plus decies mille, in adytis positæ servantur*. διὸ δὴ ἔτι καὶ νῦν φιλάττεσαι τὰς τότε μορφὰς τοῖς θεοῖς. ταῦτα γὰρ ἀμέλει ἐν τοῖς ἀδύτοις ἀπόκειται γραφέντα, πρὶν ἢ πρὸ ἐτῶν μυρίων. Exaggerant heic quidem Plinius & multo magis Plato, & Lucianus, tantam Ægyptiis picturis antiquitatem tribuentes; idoneo sunt adhuc tamen testimonio Ægyptios fuisse solitos sua pingere Numina; immo bene animadvertenda Platonis verba, asserentis ætate sua Pictores apud Ægyptios iisdem, quibus antiquissimi, usos fuisse Deorum figuris; illud enim adeo certum, sive adeo enim est certum, ita efformatos depictosque fuisse Ægyptios Deos, & exhibitum religiosum cultum figuris picturisque Deos illos repræsentantibus, ut vel ætate Platonis ævo posteriore id a D. Gregorio Nazianzeno, Oratione sua secunda in Julianum, illo in Cæsare, illarum cultum nempe Picturarum, notatum esse videamus; ita enim Sanctus ille Pater: *Unum solum in tuis rebus est, quod venerationem mereatur, nimirum honores ii qui apud Ægyptios Nilo per androgynos habentur, & Isides & Mendesii Dii, & Asides, ceteræque omnes Bestiæ ex diversis generibus conflatæ, & prodigiosæ, quas confingis, & pingis*. ἐν σοῦ μόνον αἰδέσιμον, αἱ παρ Αἰγυπτίοις δι' ἀνδρογύνων τιμαὶ τοῦ Νείλου, αὗται Ἴσιδες, καὶ οἱ Μενδήσιοι θεοὶ, καὶ οἱ Ἄπιδες. τ' ἄλλα τε ὅσα πλάττεις, ἢ γράφεις, θηρία σύνθετα καὶ ἀλλόκοτα. Quin & picta illa Ægyptiorum Hieroglyphica in aliarum etiam Sacris Gentium usu habita & propagata nos docent veteres Scriptores; & significare videtur Apulejus, Libro Metamorphoseon XI. ubi illa: *Adest tibi dies votis assiduis exoptatus, quo Deæ multinominis Divinis imperiis per istas meas manus piissimis Sacrorum arcanis insinueris: & injecta dextera senex comissimus ducit me prorsus ad ipsas fores Ædis amplissimæ, rituque solemni apertionis celebrato ministerio, ac matutino peracto sacrificio, de opertis adyti profert quosdam Libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris ejuscemodi animalium, concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis & in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis apicibus .... jussus superstiti, byssina quidem, sed floride depicta veste conspicuus: quaqua tamen viseres colore vario circumnotatis animalibus. Hinc Dracones Indici, inde Gryphes hyperborei, quos in speciem pinnatæ alitis generat mundus alter. Hanc Olympicam stolam Sacrati nuncupant*. Recte & acutæ vero animadvertit Isaacus Newtonus, de Mundi Systemate agens, *in principio*, ubi scribit: *Sacra Vestæ ingenium Ægyptiorum sapiunt, Mysteria captum vulgi superantia sacris ritibus & hieroglyphicis pingentium*. Sed & ad Ægyptias Numinum figuras adlusisse reor Latinum veterem Auctorem, apud Divum Augu-

 stinum,

ſtinum, Libro VI. de Civitate Dei, Cap. X. Ethnicas ſcilicet ſuperſtitiones irridentem, Deorumque hiſce verbis notantem formas: *Habitus illis hominum, ferarumque & piſcium; quidam vero mixto ſexu diverſis corporibus induunt, quæ ſi ſpiritu accepto, ſubito occurrerent, monſtra haberentur.* Ea igitur ratione qua, poſteriore ætate, pingebantur colebanturque Ægyptiorum Dii, ita antiquiſſimis quoque juxta Platonem, pingebantur & colebantur temporibus; ideoque jure & merito inferendum eſt, præceptum ſive interdictum Moſaicum de non colendis Imaginibus, picturas potius, aut æque ſaltem atque ſculpturas reſpexiſſe; quum verbis illis: *neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra;* verbis, inquam, illis, prorſus cum Apoſtoli verbis, convenientibus, *in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium,* ad Idololatriam Ægyptiorum, pictas Animalium figuras & effigies colentium, animum Moyſes intenderet, inter quos, antequam eorum ex regione egrederentur, diu verſati fuerant Judæi.

Beſtias jam vero illas, & animalium figuras quas pingebant & adorabant Ægyptii, Deorum ſymbola appellabant, uti *in Deorum Concilio* oſtendit Lucianus, Jovem inducens ita Momo de adoratis illis in Ægypto animalium figuris quærenti reſpondentem: *Turpia profecto ſunt, quæ dicis de Ægyptiis. Attamen pleraque illorum, o Mome, ſunt ænigmata, non omnino a profanis deridenda.* αἰσχρὰ ὡς ἀληθῶς ταῦτα φῄς τὰ περὶ τῶν Αἰγυπτίων. ὅμως δὲ οὖν ὦ Μῶμε, τὰ πολλὰ αὐτῶν, αἰνίγματά ἐστι, καὶ οὐ πάνυ χρὴ καταγελᾷν ἀμύητον ὄντα. Communiter autem Hieroglyphica appellantur, quæ vetuſtiſſimis omnibus populis in uſu fuiſſe, non modo probatiſſimis teſtimoniis evincit Warburtonus Tom. I. Art. VII. illius argumenti, verum etiam hieroglyphicas illas notas ex antiquiore ſacro quodam Picturæ genere ait eſſe derivatas; animadvertit ſiquidem, Euſebium Præparationis Evangelicæ Libro I. Cap. 10. hæc memoriæ tradidiſſe: *Taautus vero Deus, Cæli artem imitatus, mox Saturni etiam atque Dagonis, ceterorumque Deorum cultus, unaque ſacros Elementorum characteres expreſſit. Quin etiam inſigne Regni Saturno, ejusmodi excogitavit &c.* πρὸ δὲ τούτων θεὸς Τάαυτος μιμησάμενος τὸν Οὐρανὸν, τῶν θεῶν ὄψεις. Κρόνου τε καὶ Δαγῶνος καὶ τῶν λοιπῶν διετύπωσεν τοὺς ἱεροὺς τῶν στοιχείων χαρακτῆρας. ἐπενόησε δὲ καὶ Κρόνῳ παράσημα βασιλείας. Animadvertit, inquam, Tomo I. de Hieroglyphicis Warburtonus, hæc ſcribere Euſebium, ad quæ ita habet: *Hoc nos docet teſtimonium, Ouranum ſibi genus quoddam ſcripturæ per pingendi artem imaginatum eſſe, quod Taautus ad umbilicum perduxit; Taautus, inquam, ſive Thot, qui idem cum Ægyptio Mercurio, cui facile hoc inventum aſſertum eſt. Quam igitur Sanchoniaton apud Eu-*

ſebium

sebium describit scribendi per pingendi artem ratio, *quamque Taautus perfecisse dicitur*, *ab Hieroglyphicis nibil differt*; *ast illa qua ante ipsum Ouranus usus est*, *cum simplici Americanorum Pictura prorsus convenit*. *Ceterum*, prosequitur Warburtonus Tom. I. pag. 289. *animadvertendum est*, *antiquiorem cultum animalium in Ægypto haud certe ipsa viva respexisse animalia*, *sed verius eorum imagines pictas*, *& coloribus repræsentatas*. *Secundum Decalogi præceptum*, *& Moysis ad Israelitas sermo*, *quo eos ad obedientiam hortatus est*, *evidentissime ostendunt*, *Exodi ætate Ægyptios nondum viventia adorasse animalia*, *sed eorum pictas solum figuras*. *Hieroglyphica igitur Mosaica Lege prohibebantur*, *quod ex illis vere orta Idololatria est*. Fuse inde ostendit Warburtonus, quomodo ex pictura simplici, orta deinde fuerint Hieroglyphica. Sed & Andreas Mullerus, in *Disquisitione Geographica & Historica de Chataja*, fuse de Scriptura ejusmodi pertractat, penicillo & Pictorum more, apud antiquissimos Populos vigente. Quum igitur Sancti Patres, Judæique Sapientiores, verba Moysis de pictura quoque interpretentur; quumque ad pictas Deorum figuras, ad Ægyptiorum picta Symbola, & ænigmata, & Hieroglyphica respexisse interdicto Decalogi illo Moysen, Clericus, Warburonus, ceterique alii clarissimi Interpretes ostendant, cur obsecro, ex illo Decalogi præcepto pergunt adversus ritum nostrum argumentari Græculi?

Habent illi quidem in ore semper Psalmistæ verba: *Simulacra Gentium argentum*, *& aurum*; *os habent & non loquentur &c.* neque defuere qui animadverterunt, de Statuis tantum verba fieri in Apocalypsi IX. 20. *Καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων οἳ ὐκ ἀπεκτάνθησαν ἐν ταῖς πληγαῖς ταύταις, ὔτε μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων τῶν χειρῶν αὐτῶν, ἵνα μὴ προσκυνήσωσι τὰ δαιμόνια, καὶ εἴδωλα τὰ χρυσᾶ, καὶ τὰ ἀργυρᾶ, καὶ τὰ χαλκᾶ, καὶ τὰ λίθινα, καὶ τὰ ξύλινα, ἃ ὔτε βλέπειν δύναται, ὔτε ἀκύειν, ὔτε περιπατεῖν.* *Et ceteri homines*, *qui non sunt occisi in his plagis*, *neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum*, *ut non adorarent Dæmonia*, *& Simulacra aurea*, *vel argentea*, *& ærea*, *& lapidea*, *& lignea*, *quæ neque vivere possunt*, *neque audire*, *neque ambulare*. Verum, ut quod res est, loquar, græca omnino est hæc disserendi ratio. An quod aliquibus Scripturarum in locis de aliquo dicitur tantum genere Imaginum, vituperanturque modo aureæ, argenteæ, uno verbo, sculptæ Imagines, consequi ne debemus aut fortasse possumus, illas vetitas fuisse, contra licitas esse & permissas pictas? Minime sane gentium; sed scopus, sed finis, sed præcepti sensus, sed alia Scripturarum testimonia sunt etiam quammaxime consideranda; quibus erudimur, omnem Deorum profanorum similitudinem esse interdictam.

Verum, inquiunt, Sacræ Litteræ loquuntur præsertim de similitudine vi-

ne viventis, videlicet de Statua; quæ quodammodo vivere videtur, audire, videre, loqui posse, & odorari; heinc dum Imagines oppugnant illas adflati divinitus Prophetæ, consilium maxime Ethnicorum notant, qui Imagines ejusmodi conflabant in similitudinem viventis; quare imaginaretur Populus eas audire, videre, & veluti vivere, & posse ambulare. Hoc tamen, pace Græculorum disputantium, falsum omnino est. Si rationem quippe Idoli sitam arbitremur universam in similitudine viventis, ut Adversarii præconcipiunt, consequi fas inde erit, Idololatras non fuisse veteres Germanos, de quibus ita in suo de moribus Germanorum Libro Tacitus: *Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani corporis speciem assimilare, ex magnitudine Cælestium arbitrantur: lucos & nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant Secretum illud quod sola reverentia vident.* Æque consequi fas erit, Idololatras non fuisse olim Celtas, qui Tyrio Maximo teste, excelsam coluêre Quercum, & Jovis nomine solemniter appellaverunt. Tacitus rursum allegato in Libro: *Apud Nabarvalos antiquæ Religionis lucus ostenditur. Præsidet Sacerdos muliebri ornatu, sed Deos, interpretatione Romana, Castorem & Pollucem memorant. Numinis nomen Alcis. Nulla Simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium, ut fratres tamen, ut juvenes venerantur.* Idolum, quod Cyprii, Palepaphi in Templo adorabant, describens idem Auctor, Libro Historiarum II. *Simulacrum Deæ*, inquit, *non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exurgens. Et ratio in obscuro.* Arnobius autem, Libro adversus Gentes VI. *Videtis*, inquiebat, *temporibus priscis Persas fluvios coluisse, memoralia ut indicant Scripta; informem Arabes lapidem, Acinacem Scythiæ Nationes, ramum pro Cynthia Thespios. Lignum Cariis pro Diana colebatur. Videtis Pessinuntios silicem pro Deûm matre: pro Marte Romanos hastam, puteum Samos pro Junone adorasse.* Lactantius quoque Libro Divinarum Institutionum I. Romanos ajebat ridendos coluisse Deos, *& mille alia portenta: ut jam vaniores qui hæc colenda susceperint, quam Ægyptios esse dicamus, qui monstruosa & ridicula quædam Simulacra venerantur. Et hæc tamen habent aliquam imaginem. Quid qui lapidem colunt informem, atque rudem, cui nomen est Terminus? Huic publice supplicatur, quasi Custodi finium Deo: qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de iis dicant, qui colunt talia? nisi ipsos potissimum lapides ac stipites esse?* Reapse quis ignorat, Ideam matrem, Pessinunte Romam advectam, Lapidem fuisse, quum eam ita Livius fuse repræsentet Decadis III. Libro nono? Syllabum Imaginum Deorum contexuit Alexander ab Alexandro, *Libro Dierum Genialium IV. Cap. 12. & Libro VI. Cap. 26.* quorum Symbola, ut ita dicam, Simulacra, & Signa, neque sculpta, aut Sculptilia sane erant, neque cum virorum fœminarumque formis

& figuris

& figuris comune aliquid habebant. *Et ſane olim Græcis omnibus*, ſcribebat etiam in Achaicis Pauſanias, ſive Libro Deſcriptionis Græciæ VII, *patrium fuit rudes lapides pro Diis perinde ac Simulacra ipſa colere:* Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. Ut ſexcentos prætereamus alios claſſicos Scriptores, Clementem præſertim Alexandrinum, in Admonitione ad Gentes, eadem adfirmantem. Ejuſmodi igitur Idololatras, ſi effato Græculorum ſubſcribendum eſt, numquam reprehenderit Divina Lex & Sacræ Litteræ, quod Simulacra ſibi non effinxerint in ſpeciem viventis, quæque effigiem habuerint Viri aut Mulieris, Simulacra non coluerint, quæ videre viderentur audire, velle loqui, & odorari. Quare quid inſanum magis excogitari poſſit, non video.

Itaque inferendum Moſaico Decreto vetitas fuiſſe Imagines Gentilium Deorum omnes, ſive pictas, ſive fictas, ſive in humanam, ſive aliam quamcumque in ſpeciem colendam efformatas; tametſi aliquando Sacræ Litteræ in oppugnandis Idololatris ad aliquem particularem Deum, ad aliquod ſpeciale Simulacrum adludere, illudque denotare videantur. Pſalmiſta reapſe verbis illis, *Simulacra Gentium argentum & aurum*, animum fortaſſe intendebat in Chaldæorum, ceterorumque ſui temporis Orientalium Statuas, quæ aureæ revera erant, & argenteæ. Lucianus in Jove Tragœdo: *Videntur autem ſoli Dii barbari primas occupaturi ſedes: nam Græcos vides, Jupiter, quales ſint: venuſti quidem & pulchri, & ſecundum artem compoſiti: lapidei autem, aut ænei omnes, vel, qui omnium ſumptuoſiſſimi ſunt, eburnei, pauculo auro renidentes, ut qui eo tantum intincti, refulgeant: ceterum intus lignei, in quibus manentes muſcarum toti greges conteguntur. Bendis autem hæc, & Anubis ille, & prope ipſum Attis, & Mithres ex ſolido auro ſunt conflati.* ἐοίκασι δ' οὖν ὦ Ζεῦ, οἱ βαρβαρικοὶ, προεδρεύσειν μόνοι. ὡς τοὺς γε Ἕλληνας ὁρᾷς ὁποῖοί εἰσι. χαρίεντες μὲν, καὶ εὐπρόσωποι, καὶ κατὰ τέχνην ἐσχηματισμένοι. λίθινοι δὲ, ἢ χαλκοῖ ὅμως ἅπαντες. ἢ οἵ γε πολυτελέστατοι αὐτῶν, ἐλεφάντινοι, ὀλίγον ὅσον τοῦ χρυσοῦ ἐπιστίλβον ἔχοντες, ὡς ἐπικεχρῶσθαι, καὶ ἐπηυγάσθαι μόνον. τὰ δὲ ἔνδον ὑπόξυλοι, καὶ οὗτοι μυῶν ἀγέλας ὅλας ἐμπολιτευμένας σκέποντες. ἡ Βενδῖς δὲ αὕτη, καὶ ὁ Ἄνουβις ἐκεινοσὶ, καὶ παρ' αὐτὸν, ὁ Ἄττις, καὶ ὁ Μίθρης, καὶ μὴν ὅλοι ὁλόχρυσοι, καὶ βαρεῖς, καὶ πολυτίμητοι ὡς ἀληθῶς. Ejuſmodi reſpiciebat Deos divinus Pſaltes, verbis illis *Simulacra Gentium argentum, & aurum*; ex quibus, uti non excluduntur æneæ, eburneæ, & lapideæ Imagines, ita neque etiam pictæ, quas imo non ſemel *ligneas* appellabant, veteres Scriptores, quod Pictores veteres Græci, & Romani uſum pingendi in linteis prorſus ignorantes, antequam ſe Nero Princeps in iis pingi primus juſſerit, ſuos credere labores ligneis tabulis conſueverant, uti Vir Cl. Menardus oſtendit, Part. III. Cap. 3. *de Moribus Græco-*

Græcorum, & doctissimus Jacobus Belgradus Epistola altera *de Herculanio*. Dum igitur τὰ ξύλινα ab Ethnicis culta queritur Apostolus, Deos etiam innuit ligneis in Tabulis depictos. Nonne & pictæ ejusmodi Imagines ita sunt revera comparatæ, ut oculos habeant, & non videant; aures habeant, & non audiant; nares habeant, & non odorentur? Sane hunc Scripturarum dicendi modum picturis Deorum quoque, ceu ipsis quoque insana mente adoratis, asseruere Sancti Patres, etiam Græci, & præsertim Mosaicum interdictum, uti vidimus & evidentius constare rursus potest ex Clemente Alexandrino in Admonitione ad Gentes; *Nobis enim*, scribit, *est aperte vetitum artem fallacem exercere; non facies siquidem, inquit Propheta, cujusvis rei similitudinem, eorum quæ sunt in Cœlo & quæcumque sunt in terra infra. Revera enim Cererem Praxitelis, & Proserpinam, & Jacchum mysticum Deos existimamus, vel Lysippi artes, vel manus Apellis, quæ Divinæ existimationis figuram præbuere materiæ*. Καὶ γὰρ δὴ καὶ ἀπηγόρευται ὑμῖν, ἀναφανδὸν ἀπατηλὸν ὁρίζεσθαι τέχνην. οὐ γὰρ ποιήσεις, φησὶν ὁ προφήτης, παντὸς ὁμοίωμα; ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω. ἢ πού γ' ἂν ἔτι τὴν πραξιτέλους Δήμητραν, καὶ Κόρην, καὶ τὸν Ιακχὸν τὸν μυστικὸν, θεοὺς ὑπολάβοιμεν, ἢ τὰς Λυσίππου τέχνας, ἢ τὰς χεῖρας τὰς Ἀπελλικὰς, αἳ δὴ τῆς θεοδοξίας τὸ σχῆμα τῇ ὕλῃ περιτεθείκασιν. Eant igitur recentiores Græculi, & sola Sculptilia Moysis præcepto, contra Patrum suorum Græcorum mentem, fuisse dicant interdicta. Oppositum tamen ipsa sonat Interdicti littera, juxta quam eadem Simulacrorum est & similitudinum, sive Picturarum ratio. Mosaicum igitur præceptum ad nostrorum Signa Latinorum referendum esse non videtur, nisi æque vetitæ dicantur pictæ Græcorum tabulæ, quas ipsi tanto cultu prosequuntur. Rectissime Cl. olim Petavius, Libro de Incarnatione Cap. 14. *Ceterum*, scribit, *tametsi fatendum sit Imagines pictas in usum antiquioris Ecclesiæ frequentius receptas esse, quam Statuas; non est tamen existimandum, vetitas istas esse, aut Idololatriæ vel umbram ullam continere: cum sit eadem ambarum caussa: nec inter eas discrimen sit ullum: ut, sive Decalogi interdicto prohibeantur Imagines; quod Iconomachi contendunt: sive non prohibeantur; quod Catholica defendit Ecclesia: non minus ad Pictorum, quam ad Statuariorum opera, vis illa Legis pertinere putanda sit?* Revera Protestantes, qui Iconomachorum in opinione versantur, quum tamen philosophica veluti ratione differendo procedant, non magis a sculptarum cultu Imaginum, quam a cultu pictarum Imaginum abhorrent. Ast quum Græculi recentiores adeo a Logica & Critice quam a Diobolo abhorreant, quid mirum, si Sculptilia aversati, pictas adhuc Tabulas religioso honore prosequuntur?

CAPUT

C A P U T III.

Imagines Deorum pictas ab iis, qui in Idololatriam lapsi sunt, fuisse olim cultas Sacrarum ostenditur testimonio Scripturarum, quae illos iccirco vetiti impiique cultus postularunt.

QUONIAM vero recentiores Graeci ea semper in ore habent, quae Scriptores Divini adversus Sculptilia protulere, videamus obsecro, an expressae minus sint Sacrae Litterae, ubi illis de Idololatris loquuntur, qui Picturas coluerunt; hoc enim pacto operam etiam dabimus alterum ut eorum oppugnemus, qui Statuas aversantur, argumentum, Sculptilia videlicet, non vero Picturas, in usu apud Ethnicos fuisse. Ezechiel Propheta, Cap. VIII. v. 9. & seqq. dum de Idololatria, in quam lapsi Judaei erant, quereretur, Imagines eos pictas coluisse hisce evincit: Καὶ εἶπε πρός με, Εἴσελθε καὶ ἴδε τὰς ἀνομίας, ἃς οὗτοι ποιοῦσιν ὧδε. Καὶ εἰσῆλθον καὶ ἴδον, καὶ ἰδοὺ μάταια, βδελύγματα, καὶ πάντα τὰ εἴδωλα οἴκου Ισραὴλ διαγεγραμμένα ἐπ' αὐτοῦ κύκλῳ. κ. τ. λ. *Et dixit ad me: ingredere, & vide abominationes pessimas, quas illi faciunt. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio, & universa Idola domus Israel depicta erant in circuitu per totum, & septuaginta viri de senioribus Domus Israel, & Jezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante Picturas, & unusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulae de thure consurgebat.* Non ignoro, aliquorum opinione, ea tantum in Visione, ut dicitur, Prophetae apparuisse; qua tamen ex re nihil commodi Adversariis accederet; tum quod ea in Visione Prophetis adparebant, quae ab Idololatris revera perpetrabantur; tum etiam quod immane facinus adhuc Picturarum ille cultus appelletur. Verum *ad litteram*, ejusmodi accipi oportere ostendunt satis verba Jeremiae de Idololatria Hebraeorum ubi loquitur Cap. VII. 30. his verbis: *Posuerunt offendicula sua in Domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam;* & Cap. XXXII. 34. *Et posuerunt Idola sua in Domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam.* De pictis imo Deorum Imaginibus, quas Judaei, stantes de more, adorarent, Ezechielis testimonium debere interpretari auctor est Divus Hieronymus, ita ad illud in Commentario suo scribens: *Non solum Idolum Zeli stabat in introitu Portae Aquilonis, sed & omnes Templi parietes diversis Idolorum Imaginibus pingebantur; ut nulla esset Bestia, quam non parietis pictura monstraret. Hoc in Delubris Idolorum, Phanisque Gentilium, hucusque perspicimus.* Quod ipsum innuere etiam videtur Cyrillus Alexandrinus, Libro contra Julianum VII. Quum enim miraretur Imperator cur Ethnicorum

Libros

Libros Christiani legerent, hæc, inter cetera, regerebat Sanctus Pater: Ἐπειδὴ δὲ ἐστι γλυκὺ τὸ πάντα εἰδέναι ταύτῃ τοι καὶ μάλα ἐμφρόνως καὶ τὰς τῶν Ἑλλήνων πολυπραγμονοῦμεν δόξας, ἃς δὴ καὶ ἀφ᾽ ἑκάστῳ συνειλόχασι τῶν πραγμάτων, πρό γε τῶν ἄλλων ἐπὶ Θεῷ. κ. τ. λ. *Quoniam autem dulce est omnia scire, iccirco hac ratione & valde prudenter, etiam Græcorum sententias diligenter discutimus, quas de unaquaque re habuerint; & ante alia de Deo; & inde videndi occasionem accipimus quod volunt innumeros Deos, & immundorum Dæmoniorum multitudinem honorare, quam ipsi qui ea adorant, ignorant; dum habent in Templis Imagines multiformes, & multarum specierum, & non solum ad similitudinem Virorum & mulierum facta, sed & ferarum, & jumentorum, & reptilium, volatiliumque & aquatilium; & sileo alias Creaturas, nempe Cælum, & Solem, & Lunam, & alia Astra, quibus divinam & summam gloriam impenderunt, & omnia confuderunt*. Similitudines porro illæ Reptilium & animalium, illæque Bestiæ, Symbola Deorum erant Ægyptiorum, quæ Judæi ab Ægyptiis desumserant, quæque reapse Ægyptiorum in Templis depicta erant, ut nos Strabo docet, qui Libro XVII. de forma & habitudine Templorum Ægypti scribens, Vestibulis & area descriptis; *ex his*, subjicit, *aditus est in atrium, in cujus fronte assurgit Templum, Simulacris omnibus vacuum, nisi forte figuras quorumdam sacrorum apud Ægyptios animalium exhibuerit*; quas Ethnicos figuras adorasse oportet sane, quum eorum æmulatione, similes picturas pingi in Templo Judæi fategissent, atque colerent.

Jam vero Troglodytas quosdam fuisse, qui Picturas adorabant ab Ezechiele memoratas, ex Philastrio in Commentariis hunc adnotat ad locum Hugo Grotius, & Seldenus *de Diis Syris* Cap. XI. Troglodytas autem Philastrio dictos novimus, quod sive subterraneo in specu, sive occulto in antro, omnigenas Numinum effigies, veluti in Panthejo, adorarent.. Verum non de antro & specu loquitur Ezechiel, uti Reyerus animadvertit in *Additamentis* ad illum Seldeni locum, sed satius de Templo, in quo depictæ forent illæ Ægyptiorum Numinum, sive Hieroglyphicorum cultorum apud Judæos, uti apud Ægyptios figuræ. Duo heic interim magnis his exciderunt Viris. Grotius etenim ad allegatum Ezechielis testimonium, Recutitos putasse tunc se minus peccare subjicit, quum pictas, non sculptas colerent Imagines. Quod tamen quare ille dicat, profecto ignorabis. Seldenus autem, in mox citato Libri *de Diis Syris* Capite, ægre alibi quam allegato Ezechielis loco Picturarum cultus mentionem haberi sibi persuadet; quod statim tamen esse falsum demonstramus.

Prosequitur siquidem Propheta, Capite XXIII. orationem adversus Judæos suam, adversus Idololatriam nempe Samariæ & Jerusalem, propter quam tradendæ erant in contumeliam Gentibus, quorum super-

perstitionem erant incitatæ; hæcque usurpat verba: Καὶ προσέθετο πρὸς τὴν πορνείαν αὐτῆς, καὶ εἶδεν ἄνδρας ἐζωγραφημένους ἐπὶ τοῦ τοίχου εἰκόνας χαλδαίων ἐζωγραφημένους ἐν γραφίδι. κ. τ. λ. *Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset Viros depictos in pariete, Imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos baltehis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam Ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt, insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuncios ad eos in Chaldæam.* Hunc autem locum ita illustrat & explicat Vir doctissimus, Cornelius a Lapide: *Vidit Viros depictos accinctos baltheis, eorumque tiaras, instar Ducum, aut, ut Hebræus ait, Triariorum, easque tinctas; nam soli Reges gestabant candidas. Describit habitus Chaldæorum in pariete ita ad vivum depictorum, ut non picti, sed in terra Babylonis orti & nati viderentur. Hac Deorum tiaræ in pariete depictæ, similes erant iis, quas more patrio gerere solebant Juvenes, vel etiam ipsi Viri depicti, idest Dii Chaldæorum, qui non aliunde asciti, sed in Chaldæa sunt orti, ibique primo eis decreta est Divinitas & sacrificia.* Vere autem depictas fuisse ejusmodi Imagines animadvertit etiam Vir Cl. Hector Pintus in Commentario ad hunc locum, quod in Hebræo legamus משכיתו a verbo שכה quod proprie *pingere* significat. Est igitur sensus, Recutitos Babyloniorum Chaldæorumque Idololatria imbutos, pictas Deorum illorum Imagines adorare non erubuisse; aut libenter recordatos fuisse cultus quem pictis ejusmodi Imaginibus Chaldæi tribuere consueverant; quod indicio videtur esse, Chaldæos ipsos illo cultus genere, pictisque illis Imaginibus fuisse delectatos.

. Ostendemus autem in loco Gentes quascumque, ita ut ipsæ fuere, suos pinxisse Deos, eademque habitudine, uti corporis ita & vestimentorum; quare quum Chaldæorum de Imaginibus Deorum heic Ezechiel loquatur, eas iccirco habitu vesteque Chaldæorum ornatas exhibuit, eaque forma, quam decebat Chaldæos; pileum siquidem illum Barbaricum, proprium antiquissimorum Asiæ populorum, præsertim Chaldæorum & Persarum, capitis fuisse gestamen, pluribus ostendit Sigebertus Havercampus, elegantissima in Dissertatione *de Numismate Alexandri Magni*. Strabo reapse, Libro Geographiæ suæ XV. habitum describens Persarum, inter cetera gestare eosdem dicit περὶ τῇ κεφαλῇ πίλημα πυργωτὸν, *turritum in capite pileum*, quod fastigiatum tegumentum ab antiquioribus in Imperio populis, Medis scilicet, sicut multa alia accepisse eos idem ostendit Libro XI. his verbis: Τιάρα γάρ τις καὶ κίδαρις, καὶ πῖλος, καὶ χειριδωτοὶ χιτῶνες, καὶ ἀναξυρίδες, ἐν μὲν τοῖς ψυχροῖς τόποις, καὶ προσβόροις ἐπιτήδεια ἐστι φορήματα, οἷοι εἰσὶν οἱ Μηδικοί. ἐν δὲ τοῖς νοτίοις ἥκιστα. *Idque verum esse*, (plurima scilicet, ut antea dixerat, a Medis manasse ad Persas)

maxime e vestitu apparet: nam Tiara, pileus, tunica manicata, & anaxyrides, in frigidis locis & Aquilonaribus, ut sunt Mediæ, gestamen sunt commodum; in Austrinis minime. Sicut autem a Medis ad Persas, ita a Persis ad Parthos, eorum in terra & Imperii parte successores, idem gestamen transiisse animadvertit allegatus Havercampus ex Martiale, Libro X. Epigram. LXXII. a quo pileati dicebantur:

Ad Parthos procul ite pileatos.

Videntur igitur Judæi, Ezechielis ætate, non modo Templum ornasse, aut in Templo adorasse hieroglyphicis Ægyptiorum, pictis scilicet reptilium & animalium imaginibus ornato, sed pictis etiam Deorum Chaldæorum figuris atque Regum, Principumque & Ducum illius Gentis; horumque historiam & gesta in illorum parietibus Templorum fuisse picturis expressa, pro veterum more populorum, uti patet ex omnibus veterum Scriptorum monumentis. Ita sane Tullius, Libro in Verrem IV. *Ædes Minervæ est in Insula, de qua ante dixi, quam Marcellus non attigit, quam plenam & ornatam reliquit, quæ ab ipso* (Verre) *sic spoliata atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello, Religionum & consuetudinis jura retineret, sed ut a barbaris prædonibus vexata esse videatur. Pugna erat Agathoclis Regis in tabulis picta præclare: his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur: nihil erat ea pictura nobilius: nihil Syracusis quod magis visendum putaretur: ipse omnes eas tabulas abstulit. Viginti & septem præterea tabulas pulcherrime pictas ex eadem Æde abstulit; in quibus erant imagines Siciliæ Regum & Tyrannorum, quæ non solum Pictorum artificio delectabant, sed etiam commemoratione hominum & cognitione formarum.* Ita Pausanias quoque in Messenicis, sive Libro Descriptionis Græciæ IV. *Templum extat Messenes*, inquit, *Triopæ filiæ. In postica Templi parte picti sunt qui Messene regnarunt omnes, ante Doriensium in Peloponnesum adventum. Amphiareus videlicet, & filii. Post Herculis vero filiorum reditum Ctesiphontes, unus & ipse de Doriensium Ducibus. De iis vero qui Pylum tenuerunt, Nestor & ejus filii, Trasymedes & Antilochus. Pictus est etiam Leucippus Amphiarei frater, & cum eo Ilaira est Phœbe, Arsinoe præterea, & ipse Arsinoe natus, uti prædicant Messenii, Æsculapius, & Æsculapii filii, Machaon, & Podalirius; quas omnes Imagines pinxit Omphalion Niciæ Nicomedis filii Discipulus.* Ἔστι δὲ Μεσσήνης τῆς Τριόπα ναός. γραφαὶ δὲ κατὰ τοῦ ναοῦ τὸ ὄπισθεν, οἱ βασιλεύσαντες εἰσὶ Μεσσήνης πρὶν μὲν ἢ στόλον ἀφικέσθαι τῶν Δωρίων ἐς Πελοπόννησον, Ἀφαρεὺς, καὶ οἱ παῖδες. κατελθόντων δὲ Ἡρακλειδῶν Κρεσφόντης ἐστὶν, ἡγεμὼν καὶ οὗτος τοῦ Δωρικοῦ. τῶν δὲ οἰκησάντων ἐν Πύλῳ, Νέστωρ, καὶ Θρασυμήδης, καὶ Ἀντίλοχος. Λεύκιππός τε Ἀφαρέως ἀδελφὸς, καὶ Ἱλάειρα ἐστι καὶ Φοίβη σὺν δὲ σφισιν Ἀρσινόη. γέγραπται δὲ καὶ Ἀσκληπιὸς, Ἀρσινόης, ὢ λόγῳ τῶν Μεσσηνίων, καὶ Μαχάων,

χάων, καὶ Ποδαλείριος. ταύτας τὰς γραφὰς ἔγραψεν Ὀμφαλίων Νικίου τοῦ Νικομήδους μαθητής. Heinc & illa Statii, Lib. Thebaidos II.

Aurea tunc mediis Urbis tibi templa dicabo
Collibus . . . .
His ego Majorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimûm effingam Regum.

Indicum describit Templum Philostratus in Vita Apollonii, cujus æque, in parietibus Regum Imagines depictæ, sive acta eorum & facinora anaglyptico opere expressa. Ita ille siquidem Libri II. Cap. 9. *Ante urbem vero* (Taxila Regni Caput) *Templum invenerunt centum aut paullo amplius pedum magnitudine ex conchyliato lapide fabricatum. In ipso autem erat Sacellum non magnum sane, sed mirabili opere & arte ornatum. Tabulæ enim æneæ parietes undique tegebant, Pori, Alexandrique gestis insculptæ. Opus tale erat ut a Zeuside, vel Polygnoto, aut Euphranore factum judicari posset, qui umbras etiam & anhelitus tum emissos tum attractos arte sua expresserunt. Non injucundum erat illic mores ipsos agnoscere, qui tali ex Sculptura denotabantur. Tabulas enim hasce Porus post mortem Alexandri in Templo posuit: quamquam in his victorem describat Macedonem, qui vulneratum Porum Regem constituit, & ei quicquid in India reliquum erat, donat.* νεὼν δέ πρὸ τοῦ τείχους ἰδεῖν φασιν ὀυ παραπολὺ τῶν ἑκατὸν ποδῶν λίθου κογχυαλίτου, καὶ κατεσκευάσθαι τι ἱερὸν ἐν αὐτῷ ἧττον μὲν ἢ κατὰ νεών. τοσοῦτόν τε ὄντα, καὶ περικίονα, θαυμάσαι δὲ ἄξιον. χαλκοῖ δὲ πίνακες ἐγκεκρότηνται, τοίχῳ ἑκάστῳ γεγραμμένοι. τὰ δὲ Πῶρον τὲ, καὶ Ἀλεξάνδρου ἔργα γεγράφαται. καὶ ὥσπερ λόγος εὐδοκίμου γραφῆς, οἷον εἰ Ζεύξιδος εἴη τί, ἢ Πολυγνώτου, ἢ Εὐφράνορος. *&c.* Fuisse ea, inquam, omnia anaglyptico expressa opere indicat Philostratus, Capite illius Libri 10. Apollonium ita ad Damidem loquutum inducens. *Hæc autem, o Damis, quæ nunc intuemur Pori jussu fabricata opera, non Sculpturæ solum esse dicemus, quoniam Picturis simulantur, neque rursus Picturæ dumtaxat opus, quoniam ex ære fabricata conspicimus; sed hominem unum Sculpturæ simul Picturæque peritum illa perfecisse putandum est, qualis ab Homero in Achillis fabricando clypeo inducitur Vulcanus.* ταυτὶ δὲ ὦ Δάμι τὰ τοῦ Πώρου δαίδαλα, μήτε χαλκευτικῆς μόνον ἀποφαινώμεθα, γεγραμμένοις γὰρ ἔικασται, μήτε γραφικῆς, ἐπειδὴ ἐχαλκεύθη. ἀλλ᾽ αἰτώμεθα σοφίσασθαι αὐτὰ, γραφικόν τε, καὶ χαλευτικὸν ἕνα ἄνδρα, οἷον δή τι παρ᾽ Ὁμήρῳ τὸ τοῦ Ἡφαίστου περὶ τὴν τοῦ Ἀχιλλέως ἀσπίδα ἀναφαίνεται. Receptus adeo ubique mos erat in Templorum parietibus exprimendi facinora & gesta, aut suorum saltem Imagines Deorum & Regum. Ornatus equidem & historicæ cognitionis caussa Imagines Regum & Heroum illas in ethnicorum parietibus Templorum depictas fuisse non negaverim; quod non vetasse tamen quin eas Populus etiam

 coleret,

coleret, ostendemus in loco; atque in hoc certe Scriptoris Sacri de mente, deque sensu verborum Ezechielis dubitandum non est. Depicta dicuntur Idola domus Israel in circuitu per totum, & septuaginta seniores stantes ante Picturas, & unusquisque habuisse thuribulum in manu sua, e quo suffitus efflueret. Vidisse se ait Propheta Imagines Chaldæorum expressas coloribus, & Judæos in illas religioso cultu insanientes. Quis heic autem non intelligat Idololatriam erga Imagines pictas ore Prophetarum a Deo vetitam & exprobratam? Quis non intelligat picturas, haud minus atque Sculptilia, a Deo odio habitas, populoque suo interdictas? sane, Græcorum in sententia, non quod picturæ modo essent, sed quod Idolorum Picturæ. Itaque & interdictum de Sculptilibus non faciendis, & multo minus adorandis, non Sculpturam respiciet, sed ipsorum Sculpturam Idolorum, quibuscum Christianorum Sculpturæ nulla sunt ratione conferendæ, uti picturas Sanctorum suas Chaldæorum Ægyptiorumque picturis conferri nollent Græci.

Sed & alia prostant divinarum testimonio Scripturarum idololatriam Imaginibus pictis exercitam ostendentia. Auctor Libri Sapientiæ, Cap. XV. 4. *Non enim*, scribit, *in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra Picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores: cujus aspectus dat concupiscentiam, & diligit mortuæ Imaginis effigiem sine anima*; vel ut græcus textus aperte magis significat: *Umbra picturarum, labor sine fructu, repræsentatio variis notata coloribus.* ὄυτε σκιὰ γραφῶν, πόνος ἄκαρπος εἶδος σπιλωθὲν χρώμασι διηλλαγμένοις. Exemplaria autem Græca variare monet heic Malvenda; quædam scilicet habere σκιὰ γραφῶν, *umbra picturarum*; alia σκιογράφων, *Pictorum*; qui ita appellati sunt, quod lineamenta, umbrasque picturis equidem inducant. Cornelius a Lapide hunc enarrans locum; *Non decepit*, inquit, *nos Pictorum, qui pingendo res adumbrant & assimilant labor infructuosus. Vocatur umbra Picturæ, ipsa adumbrata, vel umbrosa, idque primo, quia origo picturæ est umbra: nam prima naturalis corporis effigies sive imago, est ipsa ejus umbra: unde ex umbra didicerint homines pingere, & pingendo adumbrare. Secundo, quia in pictura magnæ artis est bene pingere umbras: per illas enim repræsentantur rerum altitudines, profunditates, montes & valles, distantiæ & intervalla: unde ipsa Pictura vocatur adumbratio; & pingere, adumbrare; & σκιόγραφοι appellantur, qui lineamenta umbrasque inducunt, quibus ea quæ plana sunt, in Pictura eminere videantur. Pro* Sculpta *Græce est* σπιλωθὲν, *idest, maculata, & variegata variis coloribus; maculæ enim vocantur tum notæ, quibus Pictores solent Imagines & Picturas distinguere & illustrare; tum colorum variegationes. Noster vertit* Sculpta, *quia ipsa coloratio & pictura per catachresim vocatur* Sculptura; *Pictor*

enim

enim pingendo variis coloribus, nunc albicantibus & claris, nunc nigricantibus & obscuris, rem quasi ipsam exculpsit; uti videre est in vitris affabre expictis. Hinc Idola quælibet, etiam expicta dumtaxat, vocantur Sculptilia in Scripturis. Hæc Vir ille præstantissimus, qui loca statim subjicit Exodi & Psalmistæ, quibus Sculptilia vetantur, & Idola, ceu in illis pictæ etiam interdicerentur Tabulæ; quare fit consequens quod nos Capite superiore innuebamus, picturas, illo potius decreto quam Statuas fuisse interdictas. Satis in præsens tamen sit pervius Scripturæ sensus, pictasque Imagines, æque ac sculptas, prohibitas a Numine fuisse, modo eruamus. Necesse autem haud reor, de Auctore Libri Sapientiæ, ejusque de ætate heic copiose dicere; siquidem, sive temporibus Babylonicæ captivitati proximis contexus Liber ille fuerit, sive ab aliquo inter Alexandrinos Judæo, indicio sunt semper tamen allegata verba, & apertissimo argumento, Deum, Picturarum cultum, haud minus quam Sculptilium, ceu Idololatriæ objectum, odio habuisse; Judæosque suos a Tabulis Deorum pictis avertisse; Ethnicos denique, Imaginum pictarum cultu, haud minus quam Sculptilium laborasse.

Præterire vix possum alium Scripturarum locum. Libro nempe Machabæorum I. Cap. III. ubi de gravissima illa agitur persequutione quam adversus Judæos instituit Antiochus. Cetera inter scelera, quæ adversus miseros perpetrabant Ethnici, *Libros etiam Legis rimabantur, ut in eis inscriberent Picturas Idolorum suorum.* τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ᾽ αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν, uti legunt Seldenus, Grotius, Spencerus, & Petrus Zornius, *in Historia Bibliorum Pictorum ex Antiquitatibus Hebræorum & Christianorum illustrata Cap. II.* hoc est, ut hic posterior explicat, Libros sacros solicite quæsitos Ethnici expandebant, eosque suorum picturis Deorum exornabant, ut eo pacto Sacri Codices Judæorum manibus excussi interciderent. Verum valde dubito an eo animo & consilio suorum Imagines Deorum in Bibliis Judæorum, coloribus expresserint Gentiles. Nonne Recutitorum Biblia ea ratione polluentes, hostium æque ludibrio, suorum exposuissent Imagines Deorum? Nonne eas pedibus conteri quæsivissent? Quod non adeo tamen facile credendum. Itaque, si Lectio illa sit semel admittenda, magis mihi videtur Historiæ illius temporis rebusque consonum, magis quoque pro maximo Antiochi erga Idololatriam studio statuendum, Ethnicos, quibus ignota esse non poterat singularis Judæorum erga Legis Codices Religio, suorum in illis pinxisse Imagines Deorum, quo eas Judæi dum Biblia (quæ Persequutorum opinio erat) religiose colerent, Imagines, inquam, Deorum illas vel inviti Ethnicorum more, etiam adorarent.

CAPUT

C A P U T IV.

Tabularum pictarum cultus apud Ethnicos, auctoritate ostenditur Graecorum Patrum, quorum etiam nonnulli Idololatriæ originem Picturæ asseruere.

AD apertissima accedimus veterum Scriptorum testimonia Græcorum præsertim Patrum, qui quum pictas Ethnicorum Tabulas adeo aversati sint, potissimum vero earum cultum, haud minus quam artificium & cultum Statuarum, posteriores Græcos, Adversarios nostros aut in eam deberent inducere opinionem neque licitum esse Picturarum sacrarum cultum, aut in verisimiliorem aliam, non fuisse Sculptilium artificium ipsum Sacris in Litteris reprehensum & prohibitum, sed objecta satius Ethnicorum pessima sive Statuis, sive in Tabulis etiam pictis repræsentata. Vidimus Cap. II. Clementem Alexandrinum, dum in Idololatria oppugnanda totus esset, idololatrica inter objecta, *Apellis Opera* enumerasse, ἢ τὰς χεῖρας τὰς Ἀπελλικάς; pictamque etiam Imaginem, sive *pictum Idolum*, ἢ γραπτὸν ἄγαλμα. Videamus modo quid idem ille Sanctus Pater scripserit de pictis diversa ratione Diis, aut Deorum formis, quos Ethnici adorabant. Ita enim, Libro Stromatum VII. *Græci sicut hominibus formas similes, ita iisdem quoque, quibus ipsi, animi perturbationibus Deos ponunt obnoxios; & quemadmodum eorum formas sibi similes singuli pingunt, ut ait Xenophanes; Æthiopes quidem nigros & simos: Thraces autem fulvos & cæruleos: ita etiam animos assimilantiis qui eos effingunt. Barbari quidem, agrestes & efferatis moribus: Græci autem, mansuetiores; sed in quos tamen cadunt animi motus & perturbationes.* Ἕλληνες δὲ ὥσπερ ἀνθρωπομόρφους, οὕτως καὶ ἀνθρωποπαθεῖς τοὺς θεοὺς ὑποτίθενται. καὶ καθάπερ τὰς μορφὰς αὐτῶν ὁμοίας ἑαυτοῖς διαζωγραφοῦσιν, ὡς φησὶν Ξενοφάνης. Αἰθίοπές τε μέλανας τε σιμοὺς τε. Θρᾷκές τε πυῤῥοὺς καὶ γλαυκούς. οὕτως καὶ τὰς ψυχὰς ὁμοιοῦσιν, καὶ τοῖς αὐτοῖς ἀναπλάττουσιν. αὐτίκα Βάρβαροι οἱ μὲν θηριώδεις. καὶ ἀγρίους τὰ ἤθη ἡμερωτέρους δὲ Ἕλληνες, πλὴν ἐμπαθεῖς. Hisce equidem verbis cultum pictarum ejusmodi Specierum non exprimit Sanctus Pater; verum quum universo in Opere Deos irrideat oppugnetque ab Ethnicis adoratos, vel hoc ipso testimonio ostendit satis, eosdem varie picta Numina divinis honoribus fuisse prosequutos. Clarius loquitur tamen idem Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes scribens: *Vos autem aliis præstigiis ars decipit, non modo ad amandum inducens, verum etiam ad colendum & adorandum Simulacra, & Picturas. Atqui similis Pictura est: laudetur ergo Ars, non decipiat vero hominem, ut si esset veritas.* ὑμᾶς δὲ ἄλλῃ γοητείᾳ ἀπατᾷ ἡ τέχνη, εἰ καὶ μὴ ἐπὶ τὸ ἐρᾷν προάγουσα, ἀλλ' ἐπὶ τὸ τιμᾶν,

μᾶν, καὶ προσκυνεῖν τὰ δὲ ἀγάλματα, καὶ τὰς γραφάς. ὁμοία γε ἡ γραφή. ἐπαινείσθω μὲν ἡ τέχνη, μὴ ἀπατάτω δὲ τὸν ἄνθρωπον, ὡς ἀλήθεια. Nihil profecto expressius, nihil hoc evidentius inveniri potest testimonio, quo tutissime intelligamus, Sanctos Patres pictas etiam oppugnasse Idolorum Tabulas, non ratione tantum morum habita, sed præsertim cultus caussa & Idololatriæ, quum heic, uti Simulacra, ita pictas etiam Tabulas Deorum, non in turpes modo cogitationes, verum etiam idololatricum Ethnicos induxisse in cultum Pater ille doctissimus, & cujus sub oculis versabantur Idololatræ, contendat. Rursus autem, in eadem ad Gentes Admonitione, eademque in oppugnatione Imaginum Ethnicarum, de Symbolis adoratorum Numinum, deque vestitu eorumdem & figuris differens, Bacchum quidem ex amictu, Vulcanum ex arte, Neptunum ex Tridente, Jovem ex Cycno, alios aliis ex Symbolis dignosci ait; *Si quis autem*, subdit, *nudam viderit mulierem depictam, auream Venerem intelligit.* κἂν γυμνὴν ἴδῃ τις ἀνάγραπτον γυναῖκα, τῆς χρυσῆς Ἀφροδίτην νοεῖ. Quæ ita revera repræsentabatur; quare Epitecti notum illud:

Nuda Venus picta est, nudi pinguntur Amores;

Et Ovidii Metamorphoseon X.

qualia namque

Corpora nudorum Tabula pinguntur Amorum.

Quænam autem aurea illa Venus? Gnidia profecto, sive Imago celeberrimæ Veneris nudæ apud Gnidios immenso honore cultæ, quæ marmorea licet fuisset, aurea ex Homero tamen omnibus ab Ethnicis appellabatur. Apud Lucianum siquidem, in Jove legimus Tragœdo: *Venus: Ergo Mercuri accipe me, & in primis consessibus colloca, aurea enim sum. Mercurius: Minime Venus, quantum ego video. Sed, nisi hallucinor, ex albo lapide ex monte Penteli exciso, ut Praxiteli placuit, facta Venus Gnidiis tradita es. Venus: Atqui fide dignum testem tibi producam Homerum, qui sursum ac deorsum suis in Rhapsodiis, auream me esse dicit.* Ἀφρο. οὐκοῦν ὦ Ἑρμῆ, κἀμὲ λαβὼν, ἐν τοῖς προεδρίοις που κάθιζε. χρυσῆ γάρ εἰμι. Ἑρ. οὐχ ὅσα γε ὦ Ἀφροδίτη, κἀμὲ ὁρᾶν, ἀλλ' εἰ μὴ πάνυ λημῶ λίθου τοῦ λευκοῦ πεντέληθεν οἶμαι λιθοτομηθεῖσα. εἶτα δόξαν οὕτω Πραξιτέλει, Ἀφροδίτη γενομένη Κνιδίοις παρεδόθης. Ἀφρο. καὶ μὴν ἀξιόπιστόν σοι μάρτυρα τὸν Ὅμηρον παρέξομαι, ἄνω καὶ κάτω τῶν ῥαψῳδιῶν χρυσῆν με τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγοντα. Veneris itaque illius, quam Praxiteles Gnidiis fecerat, Imaginem Ethnici adorabant, sive marmoreæ Imaginis Imaginem pictam; & quia Praxiteles Venerem sculpserat

Qualis Idalium volens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem,

ita &

ita & ejusmodi erant, videlicet nudæ, Imagines ejus coloribus & arte graphica expressæ; quare jure Alexandrinus Clemens de Idololatris querebatur, quod pictam Gnidiæ Veneris imaginem haberent atque colerent; ad quod alludere & Lactantius videtur, Libro scribens Divinarum Institutionum V. Cap. 10. *Quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt Deam nudam & adulteram, & quasi apud Deos prostitutam?* Sed evidentius adhuc tamen Alexandrini Patris testimonium audiamus, qui in Admonitione ad Gentes, ubi de Imaginibus quas Ethnici adorabant adeo queritur, ita scribit: *Praxiteles, ut declarat Posidippus, in Libro de Gnido, Veneris Gnidiæ effingens Simulacrum, Cratinæ quam amabat formam in ea expressit, unde haberent miseri unde amicam Praxitelis adorarent. Quum floreret autem Phryne meretrix Thespiaca, Pictores omnes Veneris Imagines ad Phrynes pulchritudinem imitatione referebant. Superest, ut nunc ipsemet judices an adorare velis fœdas meretrices.* Φρύνη δὲ ὅτι νίκα ἦν Θεῖ ἡ ἑταίρα ἡ Θεσπικὴ, οἱ ζωγράφοι πάντες τῆς Ἀφροδίτης εἰκόνας πρὸς τὸ κάλλος ἀπεμιμοῦντο Φρύνης, ὑπολείπεται τῆς σῆς κρίσεως τὸ ἔργον ἐπάξαι, εἰ βούλει καὶ τὰς ἑταίρας προσκυνεῖν. Num vero ea subjecisset Sanctus Pater, nisi revera Tabulas Ethnici colere soliti fuissent, in quibus nuda Venus erat coloribus expressa?

Origenes Homilia in Exodum VIII. ita in rem nostram differit: Ἄλλο εἴδωλον, καὶ ἕτερον ὁμοίωμα. ὁμοίωμα μὲν γάρ ἐστιν, ἐὰν ποιῇς ἰχθύος, ἢ τετράποδος, ἢ θηρίου διὰ τεχνουργίας ἢ διὰ ζωγραφίας ὁμοίωμα. κ.τ.λ. *Aliud est facere Idolum, aliud similitudinem. Si quis in quolibet metallo auri vel argenti, vel ligni vel lapidis faciat speciem quadrupedis alicujus, vel Serpentis, vel avis, & statuat illam adorandam, non Idolum, sed similitudinem fecit. Vel etiam si Picturam ad hoc ipsum statuat, nihilominus similitudinem fecisse dicendus est. Utrumque ergo resecat Sermo Divinus, ut neque affectu colas, neque specie adores.* Discrimen illud, Idolum inter & similitudinem, sive Imaginem inter & similitudinem,) usurpavere verbis Geneseos illustrandis: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, universi pene Græci Patres, quod in eo situm esse ajebant, ut Cassiodorus quoque enarrat *in Psalmum XXXIII.* quod Imago similitudinem illius rei habeat, cujus Imago esset; similitudo ex opposito non semper illius haberet rei imaginem, cui esset similis. Exempli loco Symbola omnia, & hieroglyphica aut Ægyptiorum animalia, similitudines, non Imagines Deorum erant, quos repræsentabant. Statuæ contra, Imagines Deorum, quos referebant, essent. Quæ ut ut subtilius excogitata, posteriorum tamen Græcorum caussæ nulla omnino ratione favent; illas quippe, sive Imagines, sive similitudines, illasque sive Deorum effigies, sive etiam Symbola & hieroglyphica adorari non debere docuit Origenes tametsi picta tantum forent; indicium, uti reor, certum,

Ethnicos

Ethnicos cui semper tum Imagines cum etiam similitudines, uti ex auro, argento, ligno, & lapide, ita etiam coloribus expressas religiose coluisse.

Athenagoras in Legatione pro Christianis Idololatriæ ortum haud minus, imo pictoriæ magis arti asserit quam Sculptoriæ ceterisque. *Simulacra*, inquit ille, *quandiu ars figulina & pictoria non erant, ne colligebantur quidem. Sed tum demum quum Saurius Samsius, & Crato Sicyonius, & Cleantes* (al. Cleophanius) *Corinthius, & Cora Corinthia exorti essent; quum adumbratio a Sauria inventa esset, qui equum in sole adumbrasset; Pictoria vero a Cratone, quæ in Tabula dealbata Viri & Mulieris umbram delineasset; a Cora vero Colophaltica inventa esset, quæ quum amaret quendam, circumscripsit ipsius dormientis umbram in pariete, deinde Pater delectatus exacte facta similitudine, figulinam eam artem exercebat, quum lineamenta excavasset, argilla oppleuit. Exempla etiamnum Corinthi asservantur. His deinde accedentes Dædalus & Theodorus Milesius, artem statuariam & plasticen adinvenerunt. Ætas sane exigua istis Simulacris fuit ex universo Imaginum artificio, adeo ut nominare possis artificem cujuscumque Dei.* αἱ δὲ εἰκόνες, μέχρι μήπω πλαστικὴ ϗ γραφικὴ, ϗ ἀνδριατοποιητικὰ ἦσαν, ὀυδὲ ὠνομάζοντο. Σαυρίου δὲ τοῦ Σαμίου, ϗ Κράτωνος τοῦ Σικυωνίου καὶ Κλεάνθους τοῦ Κορινθίου, καὶ Κόρης Κορινθίας ἐπιγενομένων. καὶ σκιαγραφίας μὲν ἑυρεθείσης ὑπὸ Σαυρίου, ἵππον ἐν ἡλίῳ περιγράψαντος γραφικῆς δὲ ὑπὸ Κράτωνος, ἐν πίνακι λελευκωμένῳ, σκιὰς ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἐναλείψαντος. *&c.* Aperte & expresse tamen magis scribit Divus Epiphanius, quem norunt omnes ex pretiosissimis nunc deperditis Auctoribus, quos florentissima in Bibliotheca adservabat, tot esse mutuatum, quæ nos sane, ejus absque ope, fugerent. Ita ille igitur Præfatione in Panarium: Οὔπω δὲ ἐν ξοάνοις, καὶ ἐν τορείαις λίθων, ἢ ξύλων ἀργυροτεύκτων, ἢ χρυσοῦ ἢ ἐξ ἄλλης τινός ὕλης πεποιημένων, μόνον δὲ διὰ χρωμάτων καὶ εἰκόνων ἡ τοῦ ἀνθρώπου διάνοια ἐφ᾽, ἑαυτῇ ἕυρισκε τὴν κακίαν. *Nondum vero in Statuis, aut in tornatis lapidibus, aut lignis, aut argento auroque, aut alia quadam materia fiebant: sed solis coloribus & pictis Imaginibus mens hominis sibi malum invenerat.* Quod idem in Ancorato repetit, Num. IV. scribens: *Ac principio quidem simulatque Dæmonum improbitate novum superstitionis genus inventum est, primum illud stupri genus voce & sermone traditum est; & rudi Picturæ delineatione sunt expressa Simulacra. Deinde quam quisque exercebat artem, qua quotidianum sibi victum quæreret, venerandam & colendam liberis suis obtulit; unde ex peculiari artis suæ materia singuli sibi Deos effinxerunt: veluti figulus e luto, artifex ex auro, & argentarius faber ex argento.* Πρῶτον γαρ̀ ἐυθὺς ὅτι τοῦτο τοῖς ἀνθρώποις ἐκαινοτόμητο διὰ δαιμόνων κακουργίας, πρώτη ἄυτη πορνεία ἀπεφθέγγετο, καὶ σκιογραφίαις τὰ εἴδω-

λα προετυποῦντο. ἔπειτα τέχνην τὴν ἰδίαν ἣν μετὰ χεῖρας εἶχεν ἕκαστος. δὲ εἰς τὴν εὐπορίαν ἔσχεν εἰς πηλοῦ, τέκτων ἐκ ξύλου, χρυσοχόος ἐκ χρυσίου, καὶ ἀργυροκόπος ὡσαύτως. In Responsione vero ad Epistolam Acacii & Pauli, ita idem Sanctus Pater: *Hellenismus cœpit a Seruch temporibus, unde Idolorum cultus initium habuit. Quumque tunc temporis falsa quisque superstitione duceretur, deinceps civiliorem ad usum, & ad certas leges Simulacrorumque ritus homines sese transtulerunt; quorum ex præscripto sibi Deos finxerunt. At primum eos, quos in honore quondam habuissent, sive Tyrannos aut præstigiatores, qui memorabile quiddam in vita fecerant, ac fortitudinis & roboris illustre specimen ediderant, depingere coloribus & assimilare solebant. Postea vero ab Thare patris Abrahami tempore Simulacris & Statuis eundem errorem idololatriæ propagarunt.* εἰδώλων μὲν τοί γε ἐναρξάμενα τάττεσθαι τὰ τῶν ἀνθρώπων γένη, οἷς τότε στοιχήσαντες ἐθεοποίουν, διὰ μὲν χρωμάτων διαγράφοντες τὴν ἀρχὴν, καὶ ἀπεικονίζοντες τοὺς πάλαι παρ' αὐτοῖς τετιμημένους, ἢ Τυράννους, ἢ γόητας, ἢ τινάς τι δράσαντας ἐν τῷ βίῳ μνήμης τι δοκοῦν ἄξιον, δι' ἀλκῆς τε, ἢ σωμάτων εὐρωστίας. ἔπειτα δὲ ἀπὸ τῶν χρόνων τοῦ Θάῤῥα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ, καὶ δι' ἀγαλμάτων τὴν πλάνην τῆς εἰδωλολατρίας εἰσηγησάμενοι. Denique Præfatione in Librum adversus Hæreses, idem habet Sanctus Pater: *Phalec Rhagam genuit. hujus filius Seruch fuit, quod nomen provocationem significat. Hoc vero tempore Idololatriæ inter homines, & Gentilium superstitionis initium est factum, quemadmodum a Majoribus accepimus; tametsi nondum ad Simulacra cælatosque lapides, aut ligna, aut argenteas aureasque Statuas, alteriusve materiæ superstitiosus ille cultus adhæserat; nec aliud præter colores atque effigies erat, in quo hominum mentes novum per se se nequitiæ genus excogitarent, ac sponte sua, proprioque animi & rationis impetu pro honestate sibi sceleris turpitudinem adsciscerent. Sarucho natus est Nachor, & ab eo Tharra genitus est: ex quo tempore Simulacra primum ex argilla figulinoque opere reperta sunt, artifice Tharra.* Φαλὲκ δὲ γεννᾷ τὸν Ῥαγάμ, Ῥαγάμ τὸν Σερούχ τὸν ἑρμηνευόμενον ἐρεθισμόν. καὶ ἤρξατο εἰς ἀνθρώπους ἡ εἰδωλολατρεία τε καὶ ὁ Ἑλληνισμὸς, ὡς ἡ ἐλθοῦσα εἰς ἡμᾶς γνῶσις περιέχει. οὔπω δὲ ἐν ξοάνοις ἐν τορείαις λίθων, ἢ ξύλων ἢ ἀργυροτεύκτων, ἢ χρυσοῦ, ἢ ἐξ ἄλλης τινός ὕλης πεποιημένον, μόνον δὲ διὰ χρωμάτων καὶ εἰκόνων ἡ τοῦ ἀνθρώπου διάνοια ἐφ' ἑαυτῇ ηὕρισκε τὴν κακίαν. καὶ διὰ τοῦ αὐτεξουσίου καὶ λογιότητος καὶ νοῦ ἀντὶ τῆς ἀγαθότητος τὸ παράνομον ἐφηύρατο. γίγνεται δὲ τῷ Σερούχ παῖς ὁ Ναχώρ, Ναχὼρ δὲ γεννᾷ τὸν Θάῤῥα. ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλαστία ἀπὸ πηλουργίας, καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διὰ τῆς τοῦ Θάῤῥα τούτου τέχνης. Epiphanium autem exscripsit Johannes Damascenus, Libro de centum Hæresibus, ubi de Hellenismo Hæresi III. agens, hæc scribit. ΕΛΛΗΝΙΣΜΟΣ. ἀπὸ τῶν Σερούχ ἐναρξάμενος τῆς εἰδωλολατρείας, καὶ ὡς ἐστοίχουν ἕκαστος

τὸ τηνικαῦτα κατὰ τὴν δεισιδαιμονίαν .... ἐθεοποιου̃ν ϗ δία μεν τῶν χρωμάτων διαγράφοντες τὴν ἀρχὴν, ϗ ἀπεικάζοντες τοὺς τότε παρ᾽ αὐτοῖς τετιμημένους ἢ τυράννους. κ. τ. λ. *Hellenismus, ideſt, Græciſmus, a temporibus Sem incipiens per Idololatriam, ſub quo, ut volebant, ambulabant. Tunc enim Tyrannos vel homines memorabiles propter fortitudinem & robur corporum, pictura efformantes, Deos faciebant.* Ex quibus, niſi ſe Patres ejuſmodi fefellerint, inferri debet apertiſſime, Idololatriam primum pictis Tabulis contentam veluti fuiſſe. Si enim ante Statuarum uſum ſolis coloribus & pictis Imaginibus hominum mens ſibi malum conciliaverat, ſi rudi picturæ delineatione fuerunt primum expreſſa Simulacra, ſi ante cælatos lapides & ligna, aut cujuſcumque materiæ Signa, colores modo & effigies colebantur, inque eiſdem hominum mentes novum per ſe ſe nequitiæ genus excogitaverant, quare Idololatriæ in ſcelus lapſi erant, conſequens procul dubio eſt, Picturæ veluti Idololatriæ initia eſſe aſſerenda, pictiſque non minus Tabulis, quam Simulacris Deos repræſentantibus, publico in Religionis cultu, uſos Ethnicos fuiſſe. Reapſe jam vidimus quantam tribuerint Picturæ antiquitatem Plato, Plinius, & Lucianus, eſto plurimum exaggeraverint. Certum tamen eſſe oſtendimus, vetuſtiſſimos Ægyptios ea uſos fuiſſe ante Diis ſuis repræſentandis, colendiſque. Divus Cyrillus Alexandrinus, Libro I. contra Julianum, Populos Ægyptiis antiquiores & Abrahamo ſynchronos Picturas coluiſſe ſatis innuit ſcribens. Πλεῖστο μὲν οὖν ὅσοι κατὰ τὸν βίον οἱ τὴν μόνῳ πρέπουσαν τῷ Θεῷ δόξαν τοῖς τοῦ κόσμου στοιχείοις ἀνάπτοντες. κ. τ. λ. *Plurimi ſane qui tunc vivebant, honorem ſoli Deo tribuendum, Elementis mundi tribuebant. Chaldæi præcipue Picturis Elementa repræſentantibus erant præ omnibus addicti. Veruntamen ab eorum dementia alienus erat divinus Abraham.* Quod ſi Patres loquutos fuiſſe velimus relate etiam ad Græcos, non adeo deſipuiſſe eos crediderim, quum Pauſanias, Libro Deſcriptionis Græciæ VIII. de Simulacro Dei cujuſdam loquens ab artifice egregie fabrefacti: *Idem ſane Vir*, inquit, *vel priſcam aliquam Tabulam, vel Signum ligneum nactus*, ἀνευρὼν γραφὴν ἢ μίμημα ἀρχαῖον ξοάνου, *ad ejus ſimilitudinem æneum hoc Phigalenſibus Signum fecit*. Ut enim ligneæ Statuæ antiquiores æneis fuere, ita & pictæ Tabulæ; ex utriſque ſcilicet rationem pretioſiora efformandi Simulacra Statuarii derivabant. Eſſet vero ridendum certe, ut quum omnes omnino veteres prophani Scriptores majorem antiquitatem picturæ tribuant, & recentiora dicant Simulacra; *ante Dædalum quippe*, ut ſcribit Themiſtius Oratione XV. *non modo Mercurii, rudi informique mole, ſed reliqua etiam Simulacra fingebantur*; πρὸ μὲν Δαιδάλου τετράγωνος ἦν οὐ μόνον ἡ τῶν Ἑρμῶν ἐργασία, ἀλλὰ καὶ ἡ τῶν λοιπῶν ἀνδριάντων; ridendum eſſet, inquam, ut quum id etiam, infinitis cum Ethnicis Scriptoribus, ad-

ferant nonnulli Patres, de more, falsitatis aut ineptiæ ab Eruditulis argui debeat, ob id ipsum, quod illud adferant iidem Patres.

Ut ut fuerit tamen de majore illa Picturarum in Ethnicorum Sacris etiam Græcorum antiquitate, pictas tamen Deorum tabulas a posteriorum Idololatris etiam temporum cultas fuisse testantur synchroni alii Græci Patres. Theophilus siquidem Antiochenus hæc ad Autolycum scribebat: *Quoniam igitur me, amice, obtudisti inanibus sermonibus, Deos tuos venditans lapideos & ligneos, ductos & fusos, fictos & pictos, qui nec vident, nec audiunt; sunt enim Imagines & opera manuum hominum; &c.* ἐπειδὴ οὖν, ὦ ἑταῖρε, κατέπληξας με λόγοις κενοῖς, καυχησάμενος ἐν τοῖς χωνευτοῖς, καὶ πλαστοῖς, καὶ γραπτοῖς &c. Divus autem Athanasius, Libro contra Gentes, de Idololatris sui quoque temporis hæc habet verba: *Quandoquidem multi non modo priscis, sed nostris etiam temporibus, ubi amisere, quos carissimos, habent fratres, cognatos, uxores: multæ item viduæ maritos exstinctos, quum omnibus constet, eos ex natura homines fuisse, istos tamen, inquam, istasque, ob ingentem luctum desideriumque,* ἀναζωγραφήσαντες, καὶ θυσίας ἀναπλάσαντες, ἀνέθηκαν, οὓς οἱ μετὰ ταῦτα διὰ τὴν πλάσιν, καὶ τὴν τοῦ τεχνίτου φιλοτιμίαν θεοὺς ἐθρήσκευσαν, *fictis depictisque figuris expressos inter Numina dedicaverunt. Posteri deinde admirati elegantiam artificiumque operis, eosdem pro Diis habuere.* Haud heic vero exaggerare Sanctum Patrem, evincunt Statii carmina, Libro Sylvarum III. ubi lacrymas Hetrusci referens in morte Patris, has filii erga eundem preces describit.

Tu custos dominusque Laris; tibi cuncta tuorum
Patebunt: ego rite minor, semperque secundus
Assidue libabo dapes, & pocula sacris
Manibus, Effigiemque colam: Te lucida saxa,
Te similem doctæ referet mihi linea ceræ.

Denique Titus Bostrensis Episcopus, qui anno floruit tercentesimo sexagesimo, & Valente imperante mortuus est, Libro scribit contra Manichæos tertio: ἐφ᾽ ὅσον γὰρ συνέστηκεν ἡ περιουσία τῆς γνώσεως τῇ ψυχῇ, ἡ πρὸς τὸν Θεὸν διάθεσις ἀποδίδοται· ὅταν δὲ πᾶσα καταπονηθῇ καὶ καταναλωθῇ καὶ πτωχεύσῃ· τότε λοιπὸν τὴν ἐκείνου τιμὴν εἰς ξύλα καὶ τέχνην καταφέρει. *Quamdiu divitiæ cognitionis Dei in anima permanent, respondet in ea charitas erga Deum; quum autem omnes divitiæ dilapsæ & consumptæ sunt, & ad inopiam redacta est anima, relinquitur tunc, ut honorem divinum lignis & arti Pictoris & Sculptoris deferat*, quod optime, nempe ξύλα Turrianus vertit & interpretatur; ita enim aliquando pictæ Tabulæ appellatæ, quod in Ecclesiasticis præsertim Scriptoribus, ad Concilium Nicænum II. pertinentibus, videre est.

Aperte nemo magis tamen morem pictas adorandi Tabulas descripsit

psit Gregorio Nazianzeno, quem jam vidimus, Juliano Cæsari exprobrasse Ægyptiarum cultum picturarum, sive Isides, & Apides, & diversis bestias generis, quas pingi idem religiose curabat, πλάττεις ἢ γράφεις. Nunc vero videamus, quid Sanctus ille Pater Invectiva scripserit prima in eundem Julianum: *Est hoc*, inquit, *in Cæsareo more positum, haud quidem scio, an apud omnes quoque alios homines qui Imperio subsunt, verum apud Romanos studiosissime observatum, ut publicis Imaginibus Imperatores donentur. Nec enim coronæ & diademata, & purpuræ nitor, & memorabiles Leges, & tributa & subditorum multitudo, ad approbandum gratulandumque illis Imperium sufficiunt; sed adorationem quoque accedere necesse est ut augustiores appareant: parumque habeant ipsi adorari, ni idem quoque sibi in Imaginibus picturisque præstetur, quo cumulatior sit ipsis perfectiorque veneratio.* οὐχ' ἵν αὐτοὶ προσκυνῶνται μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐν πλάσματι τε καὶ χρώμασιν, ἵν ᾖ τὸ σέβας αὐτοῖς ἀπλιστότερον τε καὶ πλειώτερον. Hæc Nazianzenus, qui & mox cujusmodi illarum fuerit Tabularum species & facies, & quo pacto Julianus eas ad propagandum Dæmonum cultum traxerit, ita narrare pergit: *His Imaginibus alii Imperatores aliud quidquam præterea appingi gaudent: quidam clarissimas Urbes dona offerentes; alii Victorias caput corona cingentes; nonnulli Magistratus adorantes, & Præfecturarum tesseris exornatos; alii ferarum jugulationes & ejaculationes; alii Barbarorum domitorum & ad pedes pervolutorum vel trucidatorum varias multiplicesque figuras. Quid autem comminiscitur Julianus, & quam firmioribus Christianis fraudem nectit? Nimirum, quemadmodum qui cibis toxicum admiscent, ita hic usitatis Imperatorum honoribus impietatem admiscere instituit, Legesque Romanorum cum Idolorum adoratione conjungere: ac proinde quum Dæmones, velut alias quasdam consuetas picturas Imaginibus adiunxisset, tum demum Populis & Civitatibus, & præsertim Gentium Præfectis Imagines illas proponebat; ut nulla omnino ratione vitari malum posset; verum ut aut cum Imperatorum honore Dæmonum honor conjungeretur, aut horum fuga, & repudiatione Imperatores contumelia afficerentur.* Ταύταις ταῖς εἰκόσιν ἄλλοι μὲν ἄλλο τι τῶν Βασιλέων προσπαραγράφεσθαι χαίρουσιν· οἱ μὲν τῶν πόλεων τὰς λαμπροτέρας δωροφορούσας, οἱ δὲ νίκας ὑπὲρ κεφαλῆς στεφανούσας, οἱ δὲ τοὺς ἐν τέλει προσκυνοῦντας καὶ τοῖς τῶν ἀρχῶν τιμωμένους συνθήμασιν, οἱ δὲ θηροφονίας καὶ εὐστοχίας, οἱ δὲ Βαρβάρων ἡττημένων καὶ ὑπὸ τοῖς ποσὶν ἐρριμμένων ἢ κτεινομένων, πολυειδῆ σχήματα... ὁ δὲ τί μηχανᾶται, καὶ τίνα τῶν χριστιανῶν τοῖς στερροτέροις ἵστησι δόλον, ὥσπερ οἱ τοῖς βρώμασι καταμιγνύντες τὰ δηλητήρια, μίξαι ταῖς ἐξ ἔθους τῶν Βασιλέων τιμαῖς τὴν ἀσέβειαν, καὶ εἰς ἓν ἀγαγεῖν νόμους Ρωμαίων καὶ εἰδώλων προσκύνησιν. καὶ διὰ τοῦτο ταῖς εἰκόσι συμπαραγράφων τοὺς δαίμονας, ὡς δή τινας ἄλλας τῶν ἐξ ἔθους γραφὰς προτίθει δήμοις καὶ πόλεσι,

καὶ

καὶ μάλιςα τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι, τὰς εἰκόνας, ὡς κακοῦ γέ του πάντας μὴ εἶναι διαμαρτεῖν, ἀλλ' ἢ τῇ τῶν Βασιλέων τιμῇ τὴν τῶν εἰδώλων συμφέρεσαι, ἢ τῇ τούτων φυγῇ τοὺς Βασιλέας ὑβρίζεσαι, μικτῆς οὔσης τῆς προσκυνήσεως. Quinam illi forent, qui, Juliani tempore, picturas averſarentur illas, reſpuerent, contemnerentque, facile eſt divinare; Chriſtiani ſcilicet, qui, contra atque mos Gentilium erat, ab earum cultu abhorrebant.

Et ſane neceſſaria erat pictura Imperatoribus ita repræſentandis, illiſque efformandis Imperatorum Imaginibus, quæ Populis proponebantur, quaſque Urbes religioſe recipiebant, & quibus Præfecti & Magiſtratus urbium occurrebant, ut ait allegatus Nazianzenus; illis ſiquidem in Tabulis plurima ad Imperatorum hiſtoriam & geſta, ad victorias eorum & ludos ſpectantia, deſcribebantur, quæ nonniſi coloribus exhiberi poterant. Cum Nazianzeno egregie conſonat vetus Auctor inter opera ſpuria Chryſoſtomi, Tomo VIII, in illud Evangelii: *Quomodo ſcit litteras, qui non didicerit?* ita ſcribens: *Sicut enim Imperatoriis in Imaginibus depingitur tam glorioſum Satellitum agmen, quam genus Barbarorum, qui Imperatori ſubacti ſunt; & procumbit infra Barbarus, procumbit etiam Civis; ſed cum fiducia ſtat Regem ſuum adorans: ille vero neceſſitate compeditus, ſub pedibus jacet, & Imperatorem adorat, ſed ſine ulla adorationis mercede, quia non ſponte id facit, ſed neceſſitate cogitur: ac ſupernus quidem ordo adorantium, infernus vero cadentium eſt; ſic in adventu magni illius Imperatoris &c.* ὥσπερ γὰρ ἐν ταῖς βασιλικαῖς εἰκόσι διαγράφεται ἡ δόξα τῶν δορυφορούντων τὸν Βασιλέα, καὶ τῶν Βαρβάρων τὰ γένη τῶν ὑποτεταγμένων τῷ Βασιλεῖ, καὶ ὑποπίπτει μὲν καὶ ὁ Βάρβαρος κάτωθεν &c. Derivatum id erat vetuſtiorum e more Romanorum, qui pictas rerum in bellis geſtarum imagines deferre conſueverant, ut præſertim videre eſt apud Appianum, in fine Libri *de Bello Mithridatico*, qui in triumpho Pompeii delatas ſcribit Imagines Tygranis & Mithridatis, ut intelligere quiſque etiam poſſet quemadmodum iidem pugnaſſent, adnotatis quoque virorum fugientiumque geſtis, nec non Mithridatis obſidione, & nocturna cum ſilentio fuga; poſtremo quemadmodum illi interiiſſent: filiæ etiam cum illo depictæ, mortem potius eligentes, & filiorum filiarumque, ut ante eum deceſſiſſent, ſimilitudines cernere erat. Erumpente vero, imo augeſcente in dies viliſſima Romanorum adverſus Tyrannos ſuos aſſentatione, innumeræ fuere Tabulæ, in quibus geſta Principum depicta, illæ præſertim, quæ diebus feſtis, eorumque ſolennibus in gratulationibus, cum adoratione propoſitæ fuerunt & cònſecratæ; percrebueratque adeo conſuetudinis illius fama apud remotas etiam Gentes, ut vel Perſæ eam irriderent; quod ab Auctore eruitur Libri de Mortibus Perſequutorum, qui Cap.V. de Va-

de Valentiniano agens: *Hic captus a Persis*, scribit; *non modo Imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissime. Nam Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum ascendere, aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat, & terga præbere, & imposito pede super dorsum ejus, illud esse verum dicebat, non quod in Tabulis aut parietibus Romani pingebant*, ubi triumphos scilicet Imperatorum mille mendacibus picturis exprimebant.

Alia superessent illustria Sanctorum Patrum testimonia, quibus pictarum cultus Tabularum apud Ethnicos vehementer confirmatur; verum ea in loco producemus. Ceterum rei, qua de agimus, illustrandæ, facere plurimum arbitror, obiter saltem ea animadvertere, quæ tum ab Iconoclastis, tum etiam ab Orthodoxis, dum maxime Imaginum de cultu ferveret controversia, fuere pronunciata. Iconoclastæ siquidem, in sua illa adeo frequenti Constantinopolitana Synodo, Imagines pictas (de illis namque tota esse Quæstio videbatur; nam Statuæ non erant in Ecclesiis Orientalibus receptæ.) Imagines, inquam, pictas Idola appellabant, Ethnicum etiam cultum, Ethnicam consuetudinem; neque id iterum & tertio, sed sexcentis & pene infinitis in locis; quare & in acclamationibus ad Imperatores, Idololatriam eos evertisse eadem Constantinopolitana Synodus pronunciavit, quod videlicet Imagines pictas ab Ecclesiis abstulissent. Epiphanius vices gerens Thomæ Episcopi Sardiniæ, ut Actione V. legimus Synodi Nicænæ, Lycomedem quendam memorans, qui Imaginem sacram in cubiculo positam corollis ornaverat, subjicit: *Senex autem ibi coronam cinctam videt, lucernasque adstantes, & ante eam aram, advocato Lycomede, dixit: Quid sibi vult hæc Imago? quem Deorum tuorum sic pingi curavisti? Video te nondum Gentilitatem exuisse*. καὶ ὁρᾷ εἰκόνα περιεστεμμένην πρεσβύτου, καὶ παρακειμένους λύχνους, καὶ βωμοὺς ἔμπροσθεν· καὶ φωνήσας αὐτὸν εἶπε. Λυκόμηδες, τί βούλεταί σοι τὸ τῆς εἰκόνος ταύτης; τίς τῶν θεῶν σου τυγχάνει ὁ γεγραμμένος; ὁρῶ γὰρ σὲ ἔτι ἐθνικῶς ζῶντα. Erant illa quidem ex falsis Actis eruta atque derivata. Verum qui illa contexuit, ad ea proculdubio adlusit, quæ eorum semper in ore versabantur, qui Imaginum cultum minime probabant. Ex opposito Orthodoxi & in Nicæna Synodo secunda, & tot in polemicis Elucubrationibus, vehementer querebantur, sacrarum Imaginum picturam & Iconoclastis dici Idololatriam, Orthodoxos appellari Idololatras, Dæmonum cultum perperam confundi ab eisdem cum cultu Christi salvatoris, Deiparæ, & Sanctorum. Tharasius enim, in Epistola ad Constantinum & Irenem, de Synodo Constantinopolitana loquens, quæ Imaginum cultum abolere studuerat, *Gentem sanctam*, inquit, *quæ semel Christum induit, & ex Gratia illius servata*

est,

est, *quasi in Idolorum errore existentem*, *Idololatras vocantes*, *& improbitatis animo præditi*, *illis hactenus manus injecerunt*, *arbitrantes se posse obscurare venerandarum Imaginum picturam*. In Epistola autem Synodi ipsius Septimæ ad Sacerdotes atque Clericos: *Nam si ut ipsi* (Iconoclastæ) *asserunt*, *Imaginum Pictura Idolis comparabilis existit*. Jam vero, tametsi immensum errarent Iconoclastæ, quare jure & merito ab Ecclesia Catholica ejecti; ast adhuc tamen, si materiam & artem, & quod externum est in Imagine consideremus, eruitur facile ex illorum dictis, Imagines cultas Christianorum convenisse cum cultis Imaginibus Gentilium. Quum vero in ratione Objecti & repræsentati, si Scholæ ad morem loqui aliquando fas est, nullo sane pacto cum Imaginibus Gentilium Imagines Orthodoxæ convenirent, fit proculdubio consequens, ita eas convenisse, ut sicut coloribus expressas Imagines Orthodoxi illo tempore colebant, ita Deorum Imagines coloribus expressas olim coluissent Ethnici, ab ætate Constantinopolitanæ Synodi tribus fere Sæculis vix dissiti, Iconoclastis veteribus propterea, quam recentioribus Græcis, nobisque magis cogniti. Sic & Agobardus apud Occidentales, Libro de Statuis & Imaginibus; *Quicumque*, inquiebat, *aliquam Picturam*, *vel fusilem*, *sive ductilem adorat Statuam*, *non exhibet cultum Deo*, *non honorat Angelos*, *vel homines Sanctos*, *sed Simulacra veneratur*. Cur id vero? Quia convenire Orthodoxos cum Gentilibus ea in re arbitrabantur illi omnes, qui Nicænorum Patrum in sententia non erant. Num vero & Agobardo in Ethnicorum errore versari crediti essent ii, qui sacras venerabantur Tabulas, nisi suos æque pictis in Tabulis Ethnici coluissent Deos?

Quoniam vero Iconoclastica in Historia versamur, antequam procedamus, age convertamus animum ad receptissimum Græci Doctoris veluti effatum, quod impræsentiarum videtur illustrandum. Gregorii Pessinuntium Episcopi illud est, prostatque Actione prima secundi Concilii Nicæni, quo, vindicando sacrarum Imaginum in Templis cultui, verba Isidori Pelusiotæ adtulit ejusmodi: ναοῦ λόγος οὐδεὶς, ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα. *Templi nulla ratio est*, *in quo non adparet Simulacrum*; ita scilicet interpretari verba illa possent, ex quibus inde inferretur, totam religiosi cultus in Templis rationem Statuas respicere atque Simulacra, non Picturas.

Verum erraret qui hoc pacto ratiocinaretur. Primum quidem, quod Nicæni Secundi Patres toti fuerunt in Picturis sacris vindicandis, non vero in vindicandis Simulacris, Signis, atque Statuis, quæ ante Concilium illud nullæ proculdubio fuere in Ecclesia non dicam Orientali, verum etiam Occidentali; neque etiam inde unquam apud Orientales; quare ejusmodi non est verborum Gregorii, & Isidori sensus; sed, uti in interpretatione Concilii legimus: *Templi nulla ratio*, *quod*

non

non ornatur Imagine. Deinde, quia, esto frequens ἄγαλμα *Simulacrum & Statuam* significet, recte tamen propriæque denotat etiam pictam Tabulam; quare optima Concilii illa versio & interpretatio. Apud Clementem Alexandrinum, uti vidimus, Libro Stromatum V; uti γλυπτὸν, sive χωνευτὸν, aut πλαστὸν, ita & γραπτὸν cultum dicitur fuisse ἄγαλμα: & Svidas apertissime in Lexico, ubi de nomine illo agit, hæc docet: Ἀγάλματα δὲ καὶ τὰς γραφὰς, καὶ τὰς ἀνδριάντας λέγουσιν. *Etiam Picturas, & Statuas* Ἀγάλματα *Græci vocant*; sexcentaque exempla prostant apud Græcos Scriptores id vehementer confirmantia. In Florilegio variorum Epigrammatum, quod Tomo II. adjicitur Carminibus Græcorum Poetarum, Libro ejusdem Florilegii IV. Cap. 12. Juliani Principis Epigramma legitur: Εἰς ἄγαλμα Ἄρεος, καὶ Ἀφροδίτης, quod ad Martis tamen & Veneris imaginem pictam referebatur; ita siquidem illud incipit:

Ἄρεα καὶ Παφίην ὁ ζωγράφος ἐς μέσον οἴκου
Ἀμφιπεριπλέγδην γέγραφεν ἀμφοτέρους.
Martem & Venerem Pictor in medio domus
Circumplex depinxit ambos &c.

Capite vero 21. ejusdem Libri, Palladæ cujusdam aliud exstat Epigramma Εἰς Νίκης Ἄγαλματα, quæ picturæ erant. Plutarchus, *in Vita Arati*, Aristrati pictam Imaginem Discipulorum Melanthi opus, quam etiam Picturam attigisse Apellem Polemon Periegetanus est Auctor, Ἄγαλμα appellat. Neque a purioribus Latinæ Linguæ Scriptoribus alienum aliquando fuit, Imaginem *Simulacri* nomine appellare. Ut enim Poetica omittam, Cicero de Inventione scripsit: *Zeuxis Helenæ Simulacrum pinxit*; & Oratione pro Archia: *Statuæ & Imagines non animorum Simulacra sunt, sed corporum*. Epistola denique LXVIII. *Artifices corporis Simulacra ignotis nota faciebant*. Vitruvius, Libro de Architectura VII. Cap. V. pictas aliquando Imagines Simulacrorum nomine significavit. *Pinguntur*, inquiebat, *portus, promontoria, litora, flumina .... Videmus item nonnullis locis Signorum melographiam habentem Deorum Simulacra, seu fabularum dispositas explicationes, non minus Trojanas pugnas &c.* Melographiam habentem Deorum Simulacra, picturam magni sumptus, & magnarum personarum, uti Deorum figuratricem, interpretatur, *in Vitruviano Lexico* Bernardinus Baldus; grandium & magnificarum picturam rerum, Salmasius, Notis *in Spartianum* suis. Quin & textorio expressæ opere Imagines *Signa* dictæ a Virgilio, ubi suo de Heroe, Libro Æneidos I.

Ferre jubet pallam Signis auroque rigentem;

Peplum videlicet imaginibus auro textis ornatum. Sed & Plato in Sophista, *Perspicuum esse*, dicit, *ea esse Idola, quæ & in aquis, & in speculis sunt; jam & quæ picta sunt, & quæ typis seu figuris expressa*,

F   *& alia*

& alia ejusmodi. Δῆλον ὅτι φέρομεν τὰ τε ἐν τοῖς ὕδασι, καὶ κατόπτροις εἴδωλα, ἔτι καὶ τὰ γεγραμμένα, καὶ τὰ πετυπωμένα, καὶ τὰ. ἄλλα ὅσα που τοιαῦτα ἐστιν ἕτερα. Heinc quot Idola, quot Signa, quot Simulacra, quot Ἀγάλματα culta apud veteres Scriptores, quæ tamen, pro frequentiori usurpatione, Signa, & Statuas fuisse imaginabimur; quæque tamen nisi pictæ Tabulæ, aut pictæ in parietibus Imagines fortasse non fuerunt? Nos tamen nostrum in commodum ambiguas voces numquam usurpabimus.

C A P U T V.

Ethnicos Tabulas Deorum pictas coluisse, testimonio ostenditur Latinorum Patrum & veterum Scriptorum.

AGMEN ducat oportet Tertullianus, Apologetici Cap. XII. ita scribens: *Igitur si Statuas & Imagines frigidas mortuorum simillimas non adoramus, nonne laudem magis quam pœnam merebatur repudium agniti erroris?* Clarius loquitur Tertullianus tamen in Libro de Idololatria his verbis: *Exinde jam caput facta est Idololatriæ ars omnis, quæ Idolum quoquo modo edit. Neque enim interest an plastes effingat, an cælator exculpat, an phrygio detexat: quia nec de materia refert, an gypso an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an figulo formetur Idolum*. Libro de Idololatria Cap. III. scripsit: *Artifices Statuarum, & Imaginum, & omnis generis Simulacrorum, Diabolus Sæculo intulit.* Clarius autem de Pictoria & Statuaria ait Capite ejusdem Libri IV. *Toto mundo ejusmodi artibus interdixit Servis Dei*. Itaque & adversus Hermogenem disputans, Capite Libri contra eundem primo, graphicæ exercitium artis, Pictorisque munus & nomen eidem objicit: quod sane factum a Tertulliano, ob frequentes tunc temporis pictas Deorum Tabulas, ab Ethnicis ubicumque adoratas. A Persis vero cultum fuisse Solem in linteo depictum memorat Tertullianus idem, Capite Apologetici XVI. his verbis: *Alii plane humanius, & verisimilius, Solem credunt Deum nostrum. Ad Persas si forte deputabimur, licet Solem non in linteo depictum adoremus, habemus ipsum ubique in suo clypeo*. Quæ verba ita effert Mamachius noster, Libro Originum & Antiquitatum Christianarum I. Cap. III. §. IV. *Non coli igitur a nobis in linteo depictum, ut a Persis, Solem; etsi eum habeamus ubique in suo clypeo*. Ceterum quam egregie consonat heic cum Clemente Alexandrino, & Theophilo Antiocheno, quos superiore Capite allegavimus, Tertullianus! Ille nullam sculptam, aut conflatam, aut fictam, aut pictam Deorum Imaginem colendam statuebat; alter Deos ridendos contendebat lapideos & ligneos, ductos & fusos, fictos & pictos; hic haud referre

docet,

docet, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an figulo formetur Idolum. Par igitur Sculptarum pictarumque Imaginum ratio; idem Patrum Sanctorum adversus utrasque odium; censura eadem, quod tam pictas quam sculptas suorum Imagines Deorum Ethnici adorarent.

Minucius Felix *in Octavio* Idololatriæ originem, ea ratione qua Athenagoras, Epiphanius, Damascenus, & Athanasius, videtur asserere picturæ dum scribit: *Dum reges suos colunt religiose, dum defunctos suos desiderant in Imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in Statuis detinere, Sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia.* Arnobius autem, Libro contra Gentes primo, ita fatur: *Venerabar, o cæcitas! nuper Simulacra, modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos & ex malleis fabricatos, Elephantorum ossa, picturatas veternosis in arboribus tænias.* Vittas scilicet, in quibus aliquod Deorum symbolum, aut eorum nomina depicta conspiciebantur; ut ea ostendunt, quæ de Timoleonte Siculi belli Duce constituto Plutarchus scribit in ejus Vita: *Timoleon Delphos ipse profectus Sacra Apollini fecit: cui in Manteon descendenti hoc fit prodigium. Ex supernis donis Vitta delapsa, quæ coronis & victoriis erat distincta, caput Timoleontis est amplexa, ut coronatus a Deo ad res gerendas mitti videretur.* ἐκ γὰρ τῶν κρεμομένων ἀναθημάτων ταινιά τις ἀποῤῥυεῖσα, καὶ φερομένη στεφάνους ἔχουσα, καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας περιέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος. Recensebantur tæniæ ille quidem aliquando inter dona & vota & anathemata; uti Heraldus in Commentario ad allegatum Arnobii testimonium arbitratur, idque videntur indicare illa Ovidii Lib. Metamorph. VIII.

Stabat in his ingens annoso robore Quercus:
Una nemus: Vitta mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant voti argumenta prioris.

Symbolorum ratione tamen, nominumque Deorum illis in Vittis depictorum adoratas eas ostendit Apulejus, Libro Metamorphoseon VI. ubi scribit: *Contra spem suam repulsa Psyche, & afflicta duplici mæstitia, iter retrorsus porrigens inter subsitæ convallis sublucidum lucum prospicit Fanum solerti fabrica structum, nec ullam vel dubiam spei melioris viam volens omittere, sed adire cujusque Dei veniam, sacratis foribus proximat. Videt dona speciosa & lacinias auro litteratas, ramis arborum postibusque suffixas, quæ cum gratia facti nomen Deæ, cui fuerant dicata, testabantur. Tunc genu nixa, & manibus aram tepentem amplexa; detersis ante lacbrymis, sic apprecatur: Magni Jovis germana & projuga &c.* Fabula quamvis Apuleji hæc fuerit, ostendit certe tamen, nullo extante Deæ Simulacro, ante picturatas solum Vittas illas, solitos fuisse Ethnicos adorare.

Lactantius, Libro Divinarum Institutionum II. Cap. 16. cetera in-

 ter

ter de Dæmonibus hæc scribit: *Hi sunt, qui Imagines, & Simulacra fingere docuerunt*; quia scilicet Ethnici, quorum tum maxime superstitionem arguit, & cultum, Statuas non modo, sed pictas etiam colebant Tabulas; quas voce illa *Imagines* Lactantium denotare voluisse, ostendemus in loco. Libro autem Divinarum Institutionum I. Ethnicorum de Diis jam scripserat idem Lactantius: *Cur igitur sic figurantur, sic coluntur? nisi forte non tantum Poetæ, sed & Pictores etiam fictoresque Imaginum mentiuntur?* rursusque eodem in Libro de Idololatris: *eaque ipsa quæ stultissime admirati sunt, Simulacris & Imaginibus expressa & consecrata posuerunt*. Denique eandem in sententiam, Libro Divinarum Institutionum II. *Cur igitur oculos in cælum non tollitis, & advocatis eorum nominibus in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes & ligna & lapides potissimum, quam illo spectatis ubi eos esse creditis?* Loquitur de Sacrificiis & precibus Lactantius, quas ante suorum imagines Deorum Ethnici faciebant. Ut igitur ad Statuas & Simulacra, ita ad parietes etiam illi respiciebant, ad pictas Numinum videlicet, in parietibus, vel in ligneis tabulis figuras.

Aurelius Prudentius, Christianus egregius Vates, suis id non semel carminibus confirmat, Libro præsertim adversus Symmachum II. ubi scribit:

At Vos Pictorum docuit manus, assimulatis
Jure Poetarum Numen componere monstris:
Aut lepida ex vestro sumsit Pictura Sacello
Quod variis imitata modis, ceraque liquenti
Duceret in faciem, sociique Poematis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, & inania rerum
Somnia concipiunt & Homerus, & acer Apelles,
Et Numa, cognatumque malum, figmenta Camœnæ,
Idola conflavit fallendi docta potestas.
Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis
Ex Tabulis cerisque Poetica fabula præstet?
Cur Berecynthiacus perdit truncata Sacerdos
Inguina, quum pulcher se se castraverit Atis?
Cur etiam templo, Triviæ, lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quum Phaedra pudicum
Captavit juvenem volucri per littora cursu,
Idque etiam paries tibi versi colorus adumbret?

Hymno vero in Passione Sancti Romani Martyris, hæc iterum Prudentius:

Dices licenter hæc Poetas fingere;
Sed sunt & ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati, quodque describunt, colunt.

Si ve-

Si vero ea colere consueverant Poetæ quæ descripserant, profecto id præstare nonnisi ope artis pictoriæ potuerint. Quis enim non intelligit, Deorum fabulis repræsentandis necessariam fuisse Pictorum artem; neque integris Statuis id satis obtineri potuisse? Illis sane non excidium Trojæ exhiberi, aut Nativitas Minervæ, Dianave gryphe sursum subvecta, Veneris cum Adonide amores, tot denique alia vel a peritissimo Sculptore potuissent, nisi opere anaglyptico proxime ad picturam accedente. Argumentum igitur ejusmodi in tabula pictum memorat Plautus in Menaechmis:

Dic mihi, numquid vidisti unquam Tabulam pictam in pariete,
Ubi Aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?

Nempe id ferebat excogitata a Poetis fabula, Pictorum nempe Præceptoribus. Quare Lactantius etiam, Libro Divinarum Institutionum I. scribebat: *Mentitos ajunt esse Poetas, & his tamen credunt, immo vero non esse mentitos reipsa probant. Ita enim Deorum Simulacra confingunt, ut ex ipsa diversitate sexus appareat, vera esse quæ dicunt Poetæ. Nam quodnam aliud argumentum habet Imago Catamiti, & effigies Aquilæ; cum ante pedes Jovis ponuntur in Templis, & cum ipso adorantur: nisi ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum?* Quantum Homeri Poemata suis in Picturis exprimere sategerit Polygnotus, fuse ostendit Pausanias, cum in *Atticis*, tum etiam in *Phocicis*, sive *Libro I. & X.* ubi illius Viri tabulas describit. Heinc jure mihi videtur scripsisse vetus Auctor Vitæ Homeri: *Si quis dicat Homerum Picturæ Magistrum, nequaquam erraverit.* Εἰ δὲ καὶ ζωγραφίας διδάσκαλον Ὅμηρον φαίη τις, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι. Lucianus, περὶ τῦ οἴκου, Picturis quibusdam Deorum egregie descriptis, subjicit, *primum earum exemplar videri sibi, Pictorem ab Euripide & Sophocle accepisse.* ὃ τὸ ἀρχέτυπον ὁ γραφεὺς παρ' Εὐριπίδυ, ἢ Σοφοκλέυς δοκεῖ μοι λαβεῖν. Qui tamen in Dialogo, cui Κρονοσόλων fecit titulum, hunc inducit adfirmantem, vidisse se Saturnum, *neque compedibus vinctum, neque situ obsitum, qualem eum Pictores fingunt, exemplar a deliris Poetis mutuati.* ἣν δὲ ὗ πεδήτης, ὗδὲ αὐχμῦ πλέως, οἷον αὐτὸν οἱ ζωγράφοι παρὰ τῶν ληρύντων ποιητῶν παραδεξάμενοι ἐπιδείκνυνται. Themistius Oratione V. Apollinem ita factum inducit: *Neque enim multis postea sæculis de Nerone Romanorum Imperatore dubitavi, tum cum ad hocce Templum venit, num ad me Deus aliquis venisset: sciebam enim sub hominis figura latere belluam: quamquam ille quidem eo venit habitu, ut & Citharam manibus teneret, & Citharædorum stolam gestaret, quam mihi gratam esse Poetarum & Pictorum opinio est.* καίτοι ἀφίκετο κιθάραν μετὰ χεῖρας ἔχων, καὶ ἐν στολῇ κιθαρῳδικῇ, ἣν ἐμοὶ φίλην ὑπολαμβάνουσιν οἱ ποιηταὶ καὶ οἱ ζωγράφοι. Libanius Ethopoeia II. Pictorem inducit de suis Operibus gloriantem, quod

egre-

egregie Poetarum de Diis inventa foret imitatus: Ita enim apud Sophistam ille Pictor : *Non tam imitabar Imagines , quæ apud homines cernebantur , verum etiam Deos exhibebam Cupidini servientes : atque illorum indolem sexumque deformabam , quod Natura pati non assolent . Jovem siquidem pingebam Bovi similem propter amorem ; & Europam humeris suis impositam ferre adegi , & colorum subsidio tranare maria : quin etiam per me Olor fuit : & quum huic gratum facere studui , aurum effinxi . Quid autem quod Apollo tardior lingua per dexteram meam expressus est , & cursum immensum coloribus inservii in pedibus immotis . Scio me cera cinxisse Martem &c.* Καὶ οὐ μόνον τὰς παρὰ ἀνθρώπους ἐμιμούμην εἰκόνας. ἀλλὰ καὶ θεοὺς παρειχόμην δουλεύοντας ἔρωτι . καὶ τὴν ἐκείνων φύσιν μετέπλαττον , ὃ μὴ πάσχειν πεφύκασιν οἵτε τὸν Δία Βοῦν ἐποίουν δι' ἔρωτα . καὶ τὴν Εὐρώπην φέρειν ἐπὶ τῶν ὤμων ἠνάγκαζον , καὶ περαιοῦσθαι διὰ χρωμάτων κατὰ τὴν θάλατταν . κύκνος ἦν δι' ἐμοῦ . καὶ ὅτε τούτῳ χαρίζεσθαι προῃρούμην , χρυσὸν ἔγραφον . &c. Tametsi ab ipsis Picturis Deorum nonnulli ea aliquando mutuati sunt quæ sunt de Diis ipsis fabulati . Photius, in Bibliotheca , Canone CLXI. de Eclogis agens Sopatri Sophistæ, in quibus plurima *de fabulosis narrabantur Gentium Diis , deque Heroibus , & Dioscuris , denique de iis qui apud Inferos degunt , aliaque id genus plurima , quæ collecta quoque* , scribit Photius, *e secundo Libro Jubæ de Pictura* . καὶ περὶ τῶν ἐν ᾅδου . καὶ ὅσα παραπλήσια . ἔτι δὲ καὶ συνείλεκται αὐτῷ ἡ βίβλος καὶ ἐκ τοῦ δευτέρου λόγου περὶ γραφικῆς Ἰόβα . Uno verbo , sibi invicem in repræsentandis Veterum Diis suppetias tulere Pictura & Poesis; quod etiam a Luciano in Dialogo *de Imaginibus* animadversum , qui vetus esse effatum dicebat , quod Libro *de Arte Poetica* eleganter expressum legimus a Flacco:

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Καὶ τοι παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος , ἀνευθύνους εἶναι ποιητὰς καὶ γραφέας . Fabulis autem Deorum oculo & imaginatione rite & ordine objiciendis, eo magis Pictoria ars esse necessaria videbatur, quo hæc, lineamenta , statum & figuram non modo, sed & repræsentatorum Numinum Heroumque πάθος , & ἦθος ; (in-quibus totius aliquando fabulæ natura, vis, & sensus) clarius quam Sculpturæ opus exprimere & referre posset . Hac certe versabatur in sententia vetus Auctor , harum , uti videtur , admodum peritus artium , Flavius Philostratus , ita in Exordio differens Libri I. de Imaginibus : *Et fingendi quidem artis multæ sunt species . Nam & ipsum fingere , & quæ aere fit imitatio , & Lygdinem vel Parium sculpere lapidem , atque eburnea opera , & ipsa per Jovem Sculptura ad Plasticem pertinent . Pictura vero coloribus quidem constat , sed non hoc solum efficit , verum multo plura ex ista re , unica*

licet ,

licet, quam alia ars quaecumque eu multis comminiscitur; Umbram enim demonstrat, & obtutum observat, furentis alium, alium moerentis, aut gaudentis; oculorumque radios, qualescumque fuerint, fictor quidem minime exprimit, caesium autem oculum, glaucumque & nigrum ars pictoria agnoscit. Agnoscit & comam flavam rufamque & rutilantem, vestiumque colores atque armorum: thalamos preterea & domos, nemora item, montesque & fontes, & inquo haec sunt, etbera &c. καὶ πλαστικῆς μὲν πολλὰ εἴδη. καὶ γὰρ αὐτὸ τὸ πλάττειν, καὶ ἡ ἐν τῷ χαλκῷ μίμησις, καὶ οἱ ξέοντες τὴν Λυγδίνην, ἢ τὴν Παρίαν λίθον, καὶ ὁ ἐλέφας, καὶ νὴ Δία ἡ γλυφικὴ πλαστική. Ζωγραφία δὲ συμβέβληται μὲν ἐκ χρωμάτων, πράττει δὲ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ πλείω σοφίζεται ἀπὸ τούτου γε ἑνὸς ὄντος, ἢ ἀπὸ τῶν πολλῶν ἑτέρα τέχνη. σκιάν τε γὰρ ἀποφαίνει, καὶ βλέμμα γινώσκει, ἄλλο μὲν τοῦ μεμηνότος, ἄλλο δὲ τοῦ ἀλγοῦντος, ἢ τοῦ χαίροντος. καὶ αὐγὰς ὀμμάτων, ὁποῖαί εἰσιν, ὃ πλαστικός μὲν τις ἥκιστα ἐργάζεται, χαροπὸν δὲ ὄμμα, καὶ ξανθὴν κόμην οἶδε, καὶ πυρσήν, καὶ ἡλιῶσαν, καὶ ἐσθῆτος χρῶμα, καὶ ὅπλων· θαλάμους τε καὶ οἰκίας, καὶ ἄλση, καὶ ὄρη, καὶ πηγάς, καὶ τὸν αἰθέρα, ἐν ᾧ ταῦτα. Si quas igitur imaginati fuerant fabulas Poetae inde in Imaginibus adorabant, pictas oportet fuisse ejusmodi Imagines, pro adjectorum natura, locorum videlicet, in quibus gesta illa evenerant, & affectuum, quos aeque exhibere necesse erat, quo Mysteria illa quae descripserant, & quibus, ut Prudentius ait, dicati Ethnici Vates erant, coluisse ipsi, jure dicerentur.

Sanctus Augustinus, Libro I. de moribus Ecclesiae Catholicae, Num. 75. adversus Manichaeos disputans, haec scribit: *Nolite mihi colligere Professores nominis Christiani nec professionis suae vim aut scientes, aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse Sepulcrorum & Picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent Religioni.* Hoc in loco nemo certe non videt, ad ferales respici illas coenas, & veluti aliquorum Christianorum silicernia, quae Ethnico more imperiti celebrabant, iisdem prope acti quibus Gentiles opinionibus; ut enim Lucianus in Contemplantibus, ajebat de suis Ethnicis: *Vides ne ante Urbes aggeres illos, columnas, & pyramidas? Illa omnia sunt cadaverum receptacula, & corporum conditoria. Saxa illi coronant unguentoque inungunt; alii prae tumulis constructo rogo, & fovea effossa, sumptuosas illas exurunt coenas, & vinum mulsumque in ipsas foveas infundunt. Nescio quid haec ad eos pertineant, qui apud Inferos agunt. Verum illis persuasum est, Umbras ab Inferis reduces, circum nidorem & fumum quantum possunt volitando coenare, & ex fovea mulsum bibere.* πλὴν τὰ πρὸ τῶν πόλεων ἐκεῖνα τὰ χώματα

ὁρᾷς

ὁρᾷς, καὶ τὰς στήλας, καὶ πυραμίδας; ἐκεῖνα πάντα νεκροδοχεῖα, καὶ σωματοφυλάκιά ἐστι. πεπιστεύκασι δ᾽ οὖν τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δειπνεῖν μὲν ὡς οἷόν τε περιπετομένας τὴν κνίσσαν, καὶ τὸν καπνὸν πίνειν δὲ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. Ut, inquam, hæc de ſuis Ethnicis Lucianus, ita, eadem ajebat prorſus de aliquibus ſui temporis Chriſtianis Paulinus Nolanus in Natali Sancti Felicis:

—— Ignoſcenda tamen puto talia parvis
Gaudia qui dicunt epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus: nec tantæ conſcia culpæ
Simplicitas pietate caret, male credula Sanctos
Perfuſis balante mero gaudere Sepulcris.

Nempe, pro majore vel minore abuſu, ritus illos magis vel minus criminabantur Patres, conſuetudinem alii ethnicam vituperantes, alii benignius rudium & imperitorum pietatem veluti reſpicientes, ut tot eorum in teſtimoniis videre eſt apud Joannem Faes Luneburgicum, in Notis ad Gregorii Gyraldi Librum, *de vario ſepeliendi ritu*. Quod noſtro in præſentia argumento conveuit, illud eſt, ex Auguſtini verbis erui, rudes aliquos Chriſtianos, more ab Ethnicis proculdubio derivato, ad ſuorum non modo Sepulcra Defunctorum fuiſſe epulatos, verum etiam picturas, ſive eorum Imagines in Sepulcris pictas fuiſſe veneratos. Ethnicorum ſane de cultu erga Sepulcra Heroum præſertim, dubitandum non eſt; quum res imo ſit notiſſima; quare Prudentius, Libro adverſus Symmachum I.

Et tot templa Deûm Romæ, quot in Urbe Sepulcra
Heroum numerare licet, quos fabula Manes
Nobilitat, noſter Populus veneratus adorat.

In Sepulcris autem pingi ſolitas fuiſſe Heroum Imagines, colligere quiſque poteſt ex Pauſania tot Græcorum Sepulcra deſcribente. Adnotat ille in Corinthiacis, hoc eſt, Libro Deſcriptionis Græciæ II. Xenodachis monimentum non eadem quidem conſtructum fuiſſe forma, qua reliqua Sicyoniorum Sepulcra; aſt adhuc *in eo, in quo pingi ſolebat, locum relictum fuiſſe, & picturam ſane, ut aliam quamcumque, reliquam fuiſſe, quæ ſpectaretur digniſſimam.* πεποίηται δὲ οὐ κατὰ τὸν ἐπιχώριον τρόπον, ἀλλ᾽ ὡς ἂν τῇ γραφῇ μάλιστα ἁρμόζοι· γραφὴ δὲ εἴπερ ἄλλη τίς, καὶ αὕτη ἐστὶ θέας ἀξία. Docuerat jam vero *in Atticis*, ſive Libro I. idem Auctor, multos homines, poſt mortem, ceu Heroas, fuiſſe divinos honores a Græcis conſequutos, eiſque aras, veluti Diis, fuiſſe conſecratas. Plurimos tunc ejuſmodi enumerat, quorum non monimenta modo, verum & pictas Imagines in monimentis repræſentat. Sic de Heliodori Alienſis apud Cephiſidorum Sepulcro agens, *pictam ejus Imaginem* iisdem in Atticis commendat, hiſce verbis: Μετὰ δὲ Κηφισοδώρου τὸ μνῆμα, τέθαπται μὲν Ἡλιόδωρος Ἅλις· τούτου γραφὴν

ἰδεῖν

ἰδεῖν ἐςί. In Arcadicis autem, sive Libro Descriptionis Græciæ VIII. Peliæ filiarum Sepulcra describens, *Nomina Virginum*, inquit, *Poetarum indicavit nemo, eorum quos ipsi legimus. Micon certe Pictor earum Imaginibus Asteropen, & Antinoen adscripsit.* ὀνόματα δὲ αὐταῖς ποιητὴς μὲν ἔθετο οὐδεὶς, οἷά γ' ἐπελεξάμεθα ἡμεῖς. Μίκων δὲ ὁ ζωγράφος Ἀστερόπειαν τε εἶναι καὶ Ἀντινόην ἐπὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτῶν ἐπέγραψε. In Phocicis, sive Libro X. *Supra Cassotidem*, inquit, *Ædificium quoddam est. In eo Picturæ aliquot Polygnoti, quas Gnidii dedicarunt.* ὑπὲρ δὲ τὴν Κασσωτίδα, ἔστιν οἴκημα γραφὰς ἔχον τῶν Πολυγνώτου, ἀνάθημα τε μὲν Κνιδίων. Eas autem recensens, *ac solum quidem*, subdit, *omnibus ex Græcis Neoptolemum fecit Polygnotus, nondum desinentem Trojanos cedere quod totum ejus argumentum Picturæ, Neoptolemi maxime tumulo convenire voluit.* Νεοπτόλεμον δὲ μόνον τοῦ Ἑλληνικοῦ φονεύοντα ἔτι τοὺς Τρῶας ἐποίησεν ὁ Πολύγνωτος, ὅτι ὑπὲρ τοῦ Νεοπτολέμου τὸν τάφον ἡ γραφὴ πᾶσα ἔμελλεν αὐτῷ γενήσασθαι. Ut alia prætream sexcenta fuisse ab eodem Pausania descripta cum depictis Heroum Imaginibus Sepulcra & Monimenta. Heroas autem illos fuisse ab Ethnicis cultos diximus, lexque eo de cultu erat, inter collectas nempe a Petito, & memoratas a Joanne Pottero, *Libro Archaeologiæ I. Cap. 26.* quarum videlicet secunda, Draconis ex Porphyrio, περὶ ἀποχ. quæque ita se habet: *Lex esto antiquissima æternaque auctoritatis in Attica, venerandos esse Deos atque Heroas patrios & indigenas publice secundum patrias sanctiones, &c.* Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ατθίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, Θεοὺς τιμᾶν καὶ Ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ ἑπομένοις νόμοις πατρίοις. Ejusmodi vero antiquus adeo Heroum sua apud Sepulcra cultus erat, ut ex Sepulcris & Monimentis illis originem esse Templorum repetendam ostendat allegatus Potterus, *Libro Archaeologiæ Græcæ II. Cap. 2.* heinc est, subsequutis etiam temporibus Imaginum illarum in Sepulcris Heroum depictarum cultum permansisse quem morem quarto Seculo nonnulli Christianorum æmulati, Heroum æque suorum, præcipue Martyrum Imagines, super eorum tumulis depingi satagebant, quas inde, more æque a Gentilibus derivato, adorarent. Prudentius, Hymno de Passione Hippolyti Martyris:

Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta Viri.

Describit inde picturam, & picturæ cultum sacer Vates; & Hymno de Cassiano Martyre:

Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Erexi in cælum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta Imago Martyris.

Qui cultus etiamsi ab Ethnica Religione veluti derivatus, fuerat a

G nostris

nostris tamen, Objectorum sanctitate, & discrimine a cultu soli Deo debito, consecratus. Ceterum aliquibus in locis eo res processerat, ut imperiti nonnulli non Imagines modo Martyrum, sed reliquorum etiam defunctorum Imagines in Sepulcris pingentes, & ad illa epulantes; sive quod nondum adeo defæcatus & receptus esset ille ritus; sive quod nondum vindicati essent picti illi in Sepulcris Martyres; sive quod nonnullis in locis re in abusum versa, ferales viderentur nostri renovare cœnas, & continuare Silicernia, Hæreticorum iccirco criminationes, & aliquorum querelas Patrum, ceu in Idololatriam lapsi, aliquorum etiam Patrum vindicias meruerunt. Hos inter non fuit certe Augustinus, qui *Sepulcrorum & Picturarum adoratores* Christianos, *in ipsa vera Religione superstitiosos* vocat, *suæque vim professionis neque scientes, neque exhibentes*. Quid autem ea sibi volunt, nisi imperitos ejusmodi Christianos, presse nimis consuetudines ethnicas sequutos, ethnicoque veluti ingenio atque ritu ea perpetrasse, quæ apud Gentiles obtinebant? Pictas igitur suorum Imagines Heroum Ethnici adorabant.

Aliam colendi pictas apud Ethnicos tabulas rationem innuit Divus Hieronymus in Caput Danielis V. scribens, *Statuam, seu Imaginem cultores Dei adorare non debent. Ergo Judices & Principes Sæculi, qui Imperatorum Statuas adorant & Imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo*. Id autem scripsit Hieronymus, quod etiam a Christianis Magistratibus, pro vetere receptissimoque & ab Ethnicis derivato more, Statuis Tabulisque Imperatorum pictis, sive dum erigerentur publice, sive dum ad Provincias Civitatesque mitterentur, divinus honor tribueretur. Indignam autem illam Christiano homine consuetudinem averruncare Lege sua fategerunt Theodosius & Valentinianus, quæ, Libro Cod. Theod. XV. Tit. 4. hisce est verbis concepta: *Si quando nostræ Statuæ, vel Imagines eriguntur, sive diebus, ut adsolet, festis, sive communibus, adsit Judex sine adorationis ambitioso fastigio, in ornamentum diei & loci, & nostræ recordationi sui probet accessisse præsentiam. Excedens cultura hominum dignitatem superno Numini reservetur*. Quæ Lex indicium est, ante ea tempora, cultum excedentem hominis dignitatem, & solo supremo Numini reservandum, Statuis & Picturis Imperatores repræsentantibus fuisse tributum; illo imo etiam fortasse tempore sive ab imperitis, sive ab assentatoribus; quare Ethnicismi reliquiæ piis ab Imperatoribus sublatæ. Donatistæ revera ut horrorem Sacrorum, quæ ab Orthodoxis celebrabantur, ingererent, fingebant Labarum Constantis Imperatoris Catholicorum in altaribus poni solitum fuisse, dum Sacrificium celebraretur; quo nihil odiosius apud Christianos excogitari poterat; ita enim legimus apud Optatum Milevitanum Libro III. de

Schismate

Schismate Donatistarum, Cap. 12. *Dicebatur enim in illo tempore venturos Paulum & Macarium, qui interessent Sacrificio, ut cum Altaria solenniter aptarentur, proferrent illic imaginem, quam primo in Altare ponerent, & sic Sacrificium offerretur. Hoc cum accepissent aures, percussi sunt animi &c.* Quem ad locum Balduinus, Mericus Casaubonus, & Dupinus, de Lauratis agunt Imperatorum sive eorum de Imaginibus, cera plerumque depictis, quas religione, aut superstitione quadam suscipiebant obviam prodeuntes Magistratus atque Populi cum cereis & thymiamatibus, ut ex Concilio habemus Septimo, exque Carolinis Libris, & ex Mabillonio, qui Græcorum imo nimium erga pictas Divorum Tabulas studium, quantum ad formam adtinet, illa ex superstitione & more censet esse repetendum. Præfatione siquidem in Sæculum IV. Ordinis S. Benedicti §. III. Num. 26. scribit: *Quam ob rem Imaginibus sacris plus tribuerint Graeci, eorumque exemplo Massilienses, Græcorum Colonia quondam: quadantenus conjecisse mihi videor. Siquidem in more positum erat apud Græcos, aliosque Populos Romano subjectos Imperio, ut statis diebus Imagines & Statuæ Imperatorum quotannis colerentur certis ritibus: quos postea Imaginibus sacris exhibendos esse Religio facile persuasit. Effusam hanc Statuas & Imagines Imperiales colendi licentiam, tametsi tantisper castigatam, improbat Zachæus Christianus, Libro I. Cap. 28. ubi conquerenti Apollonio Philosopho, cur Imagines hominum, vel ceris pictas, vel metallis defictas, sub Regum reverentia, etiam publica adoratione venerarentur, respondet: id sibi probari nec posse nec debere. Perseveravit mos usque ad tempora Gregorii Magni, quibus ab omni Populo & Senatu, in Basilica Julii, acclamatum est Iconibus Focæ & Leontiæ.* Dum igitur Hieronymus, Theodosius, & Valentinianus adorandas non esse censent Statuas & Imagines Imperatorum, satis aperte, ut ego arbitror, ostendunt, ante interdictum illud, eos præsertim, qui Christiano in Dogmate non versabantur, id præstitisse; Populis & Civitatibus videlicet fuisse pictas Tabulas, sive pictas etiam Imperatorum Imagines propositas, cultuque religioso & pompa in Urbem publica inductas; ad quod non modo Athanasius adlusit, Oratione IV. p. 254. *Qui igitur adorat Imaginem, in ipsa Regem adorat; quippe hujus forma & species est Imago.* Ὁ γοῦν προσκυνῶν τὴν εἰκόνα, ἐν αὐτῇ προσκυνεῖ τὸν βασιλέα· ἡ γὰρ ἐκείνου μορφὴ, καὶ τὸ εἶδός ἐστιν ἡ εἰκών; sed multo magis Severianus Gabalorum Episcopus, *in Sanctam Crucem*, vehementer confirmat, his verbis: *Absente Rege, Imago Regia locum implet, adorantque Proceres, & Neomeniæ sacræ peraguntur: proceduntque obviam Principes, & Populi adorant; non in assessorem aspicientes, sed ad Regis figuram; non quæ in natura aspiciatur, sed quæ picta exhibeatur.* Βασιλέως ἀπόντος, εἰκὼν βασιλέως πληροῖ χώραν βασιλέως, καὶ προσκυνοῦσιν ἄρχοντες, καὶ ἱεραὶ νεομηνίαι ἐπιτελοῦνται:

 καὶ ἄρ-

ϗ ἄρχοντες ὑπαντῶσι, ϗ δῆμοι προσκυνοῦσιν, μὴ πρὸς τὸν σανίδα βλέποντες, ἀλλὰ ἐν τῇ γραφῇ παραδεδομένον. De Romanis hunc loqui Scriptorem animadvertit Jacobus Cujacius, *Tomo II. Paratitl. in Lib. I. Codicis Justiani*, de Romanis, inquam, Principibus, quos Reges appellabant Orientales, quorumque imagines Populi adorabant, ut etiam ex Chrysostomo colligitur, Homilia II. in Epistolam Paulli ad Romanos, & ex Æneа Gazæo in Theophrastum. Vidimus jam vero superiore Capite quid Gregorius dixerit Nazianzenus de Picturis illis Imperatorum a Populo Romano cultis, & in quibus nedum ipsorum videbantur Cæsarum Imagines, sed & acta coloribus expressa, ipsique imo depicti etiam cum Imperatoribus Dii. Id autem confirmari in præsens auctoritatibus & testimonio veterum Scriptorum Latinorum potest. Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosio Augusto dicto: *Vos quoque*, inquiebat, *quibus secunda sors cessit dare famam rebus, Artifices, vulgata illa veterum fabularum argumenta despicite. Herculeos labores, & modicos Liberi triumphos, & anguipedum bella monstrorum: hæc potius, hæc gesta manus ducant; his fora, his templa decorentur; hæc marmore, hæc in coloribus vivant*. Nazarius in Oratione Constantino dicta: *Ecce enim, proh dolor! verba vix suppetunt, venerandarum Imaginum acerba dejectio, & divini vultus litura deformis. Sed quid tandem assequeris cæca dementia. Aboleri hic vultus non potest: universorum pectoribus infixus est, nec commendatione ceræ, aut pigmentorum facies retinet dignitatem. Avidius expetent quæ Pictura non reddit: flagrantiora sunt animorum desideria, quam oculorum solatia perdiderunt*. Incertus Auctor in Panegyrico, Maxim. & Const. Impp. dicto: *Fortunatus Pictor ille quisquis fuit; & quamvis Apellem, ipsumque Parrhasium scientia vicerit, materia tamen Imaginis quam arte felicior*. Colebantur igitur in pictis Imaginibus Imperatores, quod vidit quoque Cl. Interpres Taciti ad usum Delphini; ubi ille quippe Lib. Annalium III. memorat Tiberium antiquæ parcimoniæ Principem, inter cetera, Romanis objicere solitum fuisse, *Villarum infinita spatia, familiarum numerum & nationes, æris tabularumque miracula*; subjicit Interpres: *Tabularum, quas colebant, venerabanturque mira superstitione*; eodemque in Libro dum scribit Tacitus: *nec tamen repertum, nisi ut effigies Principum, aras Deûm, templa & arcus, aliaque solita censerent*; subjicit Interpres: *Potuit effigies statui in Drusi decus, quod posset in Sejani gratiam, qui simul pingebatur, adorabaturque cum Cæsare*. Quod utique jam olim adfirmaverat Dio Cassius Lib. LVIII. scribens: *In Sejanum nihil aperte conatus est Tiberius, sed alia via eum aggressus, statim Consulem designavit, & curarum suarum participem vocavit; Sejanum suum vocans, sæpe id repetiit, hoc etiam ad S. P. Q. R. scribens. Quo credito decepti Romani, omnibus locis æneas eis Statuas*

tuas

tuas conjunctim posuerunt ; in Tabulis una ambos pinxerunt ; amborum currus aureos in theatrum invexerunt : denique decretum est, ut ad quinquennium Coss. simul ii constituerentur : utrique quum Romam intrarent, obviam procederetur ; tandem ad Imagines etiam Sejani, ut ad Imagines Tiberii solebant, sacrificarunt. τούτοις οὕτω οἱ ἄνθρωποι ἀπατώμενοι καὶ πιστεύοντες, χαλκοῦς τε αὐτοὺς ἁπανταχοῦ ἐκ τοῦ ἴσου ἵστασαν, κἀν ταῖς γραφαῖς συνέγραφον, δίφρους τε ἐπιχρύσους ἐς τὰ θέατρα ἀμφοῖν ἐσέφερον· καὶ τέλος ἐψηφίσθη, ὑπάτους τε σφᾶς διὰ πέντε ἐτῶν ἅμα ἀποδείκνυσθαι, καὶ ἀπάντησιν, ὁπότε ἐς τὴν Ῥώμην ἐσίοιεν, ἀμφοτέροις ὁμοίως γίγνεσθαι. καὶ τέλος καὶ ταῖς εἰκόσιν αὐτοῦ ὥσπερ καὶ ταῖς Τιβερίου, ἔθυον; cecidisse tandem Sejanum subdit Dio, *quem Romani adoraverant, & sacrificiis tamquam Deum coluerant.* ὅν τε προσεκύνουν, καὶ ὡς θεῷ ἔθυον. Quod si privatæ, ut ita loquar, colebantur pictæ Imperatorum Tabulæ, quanto magis illæ publica quæ erigebantur pompa, quæque ad Civitates & Provincias mittebantur, dum Neomeniæ peragerentur, ut ajebant Theodosius, Valentinianus, & Severianus Gabalorum Episcopus? Consonant igitur Patrum, Græcorumque Scriptorum ea de re dicta cum effatis Patrum Latinorum, ex quibus esse videtur consequens, coloribus etiam expressas Numinum imagines, cultas ab Ethnicis fuisse, *Solem in linteo depictum a Persis fuisse adoratum*, adoratas quoque fuisse *picturatas Numinum tænias* ; Ethnicos, dum adorarent, non ad ligna tantum atque lapides, quibus Dii efformati erant, verum & *ad parietes, in quibus erant depicti*, respexisse ; illos qui *pictas* onore prosequebantur & cultu Imperatorum *Effigies*, id præstitisse, quod tres pueri Babylone facere nolentes placuerunt Deos ; illosque, qui Christiana in Religione *Picturas adhuc adorabant*, neque Christiani vim dogmatis novisse, neque suæ vim professionis, sed Idololatricæ ritus superstitionis potius exhibuisse. Itaque, pro Latinorum auctoritate Patrum, eorumque fide digno testimonio, nulla dubitari ratione potest, Ethnicos Tabulas Deorum pictas adorasse.

C A P U T VI.

Ethnicorum testimoniis Scriptorum evincitur Idololatras veteres, suos in Tabulis etiam pictis coluisse Deos.

ID ut ostendatur, primo adducemus loco Platonem, ita Libro de Legibus XI. scribentem : *Priscæ de Diis leges, apud omnes homines, bifariam sunt positæ. Nam Deorum quidem alios videmus, eosque ita conspicabiles colimus : aliis vero, quos videlicet videre non possumus, Imagines & Statuas collocamus ; easque, etiamsi inanimatæ sint, animatos tamen illos esse Deos arbitramur ; & ipsos nobis se colentibus multam iccirco be-*

co be-

eo benevolentiam & gratiam erga nos habere . Νόμοι περὶ θεῶν ἀρχαῖοι κεῖνται παρὰ πᾶσι διχῆ· τοὺς μὲν γὰρ τῶν θεῶν ὁρῶντες σαφῶς τιμῶμεν· τῶν δ' εἰκόνας, ἀγάλματα ἱδρυσάμενοι, οὓς ἡμῖν ἀγάλλουσι καίπερ ἀψύχους θεούς, πολλὴν διὰ ταῦτ' εὔνοιαν καὶ χάριν ἔχειν. Imagines porro illas, de quibus nunc Plato, censendas esse pictas, ostendemus in loco. Loquitur clarius tamen Aristoteles, Libro Politicorum VIII. Cap. 17. his verbis : *Quum vero dicere quicquam inhonestum interdixerimus , clarum est , quod & adspicere picturas , & actus deformes prohibemus . Sit igitur cura Magistratibus , nullam neque Statuam , neque Picturam esse talium rerum imitatricem : nisi apud Deos quosdam , quibus etiam lasciviam mos tribuit . Apud hos permittet Lex jam homines factos , pro se , & filiis , & uxoribus Sacra facere .* Ἐπεὶ δὲ τὸ λέγειν τι τῶν τοιούτων ἐξορίζομεν, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ θεωρεῖν, ἢ γραφὰς, ἢ λόγους ἀσχήμονας· ἐπιμελὲς μὲν οὖν ἔστω τοῖς ἄρχουσι, μηθέν, μήτε ἄγαλμα, μήτε γραφὴν εἶναι τοιούτων πράξεων μίμησιν· εἰ μὴ παρά τισι θεοῖς τοιούτοις, οἷς καὶ τὸν τωθασμὸν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος: πρὸς δὲ τούτοις ἀφίησιν ὁ νόμος τοὺς ἔχοντας ἡλικίαν πλέον ποιήκουσαν, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν, καὶ τέκνων, καὶ γυναικῶν τιμαλφεῖν τοὺς θεούς. Nil expressius reperiri posse contestor confirmando pictarum apud Ethnicos Tabularum cultui ; loquitur heic quippe Philosophorum Princeps de Sacrificiis , quæ Patresfamilias pro se filiisque & uxoribus ante obscœnarum pictas Tabulas imaginum facere debebant , ne simpliciorum animi illarum obtutu violarentur picturarum . Ejusmodi profecto Tabulas apud Ethnicos publico prostasse cultui sexcenta fidem faciunt testimonia ; talibus quippe Deorum de picturis querebatur Origenes , Libro contra Celsum IV. *Et quid opus est enumerare absurdas de Diis historias , Græcorum pudendas primum , sed per allegoriam expositas ; quando Chrysippus Solensis , qui Porticum Philosophorum plurimis scriptis ornasse dicitur , interpretatur Picturam in Samo , ubi Juno depicta est , morem gerens Jovis non nominandæ libidini ? Scribit enim in suis Commentariis gravis ille Philosophus , quod excipiens seminalem Dei sermonem materia continet in se ad ornatum & ordinem rerum omnium . Nam materiam imagine Junonis Samia pictura significat , Deum vero Jovis .* καὶ τί με δεῖ καταλέγειν τὰς περὶ θεῶν ἀτόπους Ἑλλήνων ἱστορίας, αἰσχύνης αὐτόθεν ἀξίας. καὶ ἀλληγορουμένας; ὅπουγε ὁ Σολεὺς Χρύσιππος, ὁ τὴν Στοὰν τῶν φιλοσόφων πολλοῖς συγγράμμασι συνετοῖς κεκοσμηκέναι νομιζόμενος, παρερμηνεύει γραφὴν τὴν ἐν Σάμῳ, ἐν ᾗ ἀῤῥητοποιοῦσα ἡ Ἥρα τὸν Δία ἐγέγραπτο. λέγει γὰρ ἐν τοῖς ἑαυτοῦ συγγράμμασιν ὁ σεμνὸς φιλόσοφος, ὅτι τοὺς σπερματικοὺς λόγους τοῦ θεοῦ ἡ ὕλη παραδεξαμένη ἔχει ἐν αὐτῇ εἰς κατακόσμησιν τῶν ὅλων. ὕλη γὰρ ἡ ἐν τῇ κατὰ τὴν Σάμον γραφῇ, ἡ Ἥρα, καὶ ὁ θεὸς ὁ Ζεύς. Hæc ille ; qui de Pictura scribens , sive picta de Imagine , quam Chrysippus interpretari , & qua poterat ratione vindicare satagebat , illam &

publi-

publice prostasse & cultam fuisse, est valde verosimile. Frequentissimas autem fuisse apud Ethnicos inhonestas turpesque Deorum tabulas, quas Religionis ergo erigebant, colebantque videbimus in loco; satis enim impræsentiarum est ipsum per se Aristotelis effatum, quo de Picturis loquitur, quibus sacrificia offerebantur, certissimum divini cultus argumentum.

Lucianus, in Pseudomante, pictarum cultum tabularum apertissime confirmat, dum de simulato illo Æsculapio loquens scribit: *Exclamare cœperunt, & salutare Deum, & Civitatem beatam prædicare. Tum votis affatim quisque implebatur, thesauros, ope, sanitatem, aliaque id genus bona flagitando. Accedebant ad hæc Picturæ, Imagines, Signa Deum referentia, partim ærea, partim argentea.* Οἱ νέκραγον εὐθὺς, καὶ ἠσπάζοντο τὸν Θεὸν, καὶ τὴν πόλιν ἐμακάριζον, καὶ χανδὸν ἕκαστος ἐνεπίπλατο τῶν εὐχῶν, θησαυροὺς, καὶ πλούτους, καὶ ὑγιείας, καὶ τὰ ἄλλα ἀγαθὰ αἰτῶν παρ᾽ αὐτοῦ· γραφαί τε ἐπὶ τούτῳ, καὶ εἰκόνες, καὶ τὰ ξόανα, τὰ μὲν ἐκ χαλκοῦ, τὰ δὲ ἐξ ἀργύρου εἰκασμένα. En ut in illius Æsculapii cultu adhibitas æque exhibet Lucianus picturas, pictasque tabulas, uti Simulacra, & Signa. Id quoque in Bacchi cultu perpetratum restatur Athenæus, Libro Deipnosophistarum X. Cap. 7. dum scribit scilicet: *Stulti certe, qui Bacchum fingunt, aut pingunt, & per medium forum impositum plaustro ducunt, vinolentum; quoniam spectatoribus id probant, vinum esse Deo potentius: id quod, ut arbitror, nullus veritatis studiosus admiserit.* οὐ καλῶς δὲ οἱ πλάττοντες καὶ γράφοντες τὸν Διόνυσον, ἔτι τε οἱ ἄγοντες ἐπὶ τῆς ἁμάξης διὰ μέσης τῆς ἀγορᾶς οἰνωμένον· ἐπιδείκνυνται γὰρ τοῖς θεαταῖς ὅτι καὶ τοῦ θεοῦ κρείττων ἐστὶν ὁ οἶνος. De pompis nempe loquitur Athenæus in Bacchi honorem celebratis, quæ ad Religionem apud Ethnicos spectabant, & ad quas uti Statuis, ita pictis Bacchi utebantur tabulis. Sic Pausanias in Arcadicis, sive Libro Descriptionis Græciæ VIII. scribit: *Antinoi etiam Religio divinis est honoribus consecrata. Est Antinoi Templum Mantinensibus recentissimum, quod præcipue quadam cura Hadrianus Imperator exornavit. Antinoum ego viventem non vidi; Statuas certe & pictas Imagines sum conspicatus. Ædes in Gymnasio est, in qua Antinoi Signa servantur tum reliquis ornamentis, tum lapi..um nobilitate, tum vero pictis Antinoi imaginibus insignis. Earum Imaginum multæ Liberi Patris insignia præseferunt.* Ἐνομίσθη δέ καὶ Ἀντινόους σφίσιν εἶναι θεός· νεώτατος δὲ ἐν Μαντινείᾳ νεώτατος ὁ τοῦ Ἀντινόου ναὸς οὗτος, ἐσπουδάσθη περισσῶς δή τι ὑπὸ βασιλέως Ἀδριανοῦ. Ἐγὼ δὲ μετ᾽ ἀνθρώπων μὲν ἔτι αὐτὸν ὄντα οὐκ εἶδον, ἐν δὲ ἀγάλμασιν εἶδον καὶ ἐν γραφαῖς. Οἶκος δέ ἐστιν ἐν τῷ γυμνασίῳ Μαντινεῦσιν ἀγάλματα ἔχων Ἀντινόου, καὶ ἐς τὰ ἄλλα θέας ἄξιος, λίθων ἕνεκα οἷς κεκόσμηται, καὶ ἀπιδόντι ἐς τὰς γραφάς· αἱ δὲ Ἀντινόου εἰσὶν αἱ πολλαὶ, Διονύσῳ μάλιστα εἰκασμέναι. Ejusmodi

autem

autem uti Statuis, ita pictis etiam utebantur Imaginibus, in celebritatibus Antinoi & pompis; easque eo colebant magis, quo Deorum insignia præseferebant.

Aristides, Oratione Isthmica in Neptunum, miratur eo fabulam processisse, ut aliqua tribueret illi Deo non prorsus decora. Itaque quanam ratione pingendæ imagines illius Dei, quas adorare oporteret, ita demum docet. Παλαίμονα δὲ καὶ εἰπεῖν καλὸν καὶ τοὔνομα αὐτοῦ ὀνομάζειν καὶ ὅρκον ποιήσασθαι καὶ τῆς τελετῆς ἐπ' αὐτῷ καὶ τοῦ ὀργιασμοῦ μετασχεῖν (τοσοῦτός τις ἵμερος πρόσεστι τῷ παιδὶ) καὶ ἰδεῖν γε καὶ ἐν γράμματι· ὅπου μὲν ἐπὶ δελφῖνος φερόμενον· ὅπου δὲ καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν νώτων τῆς θαλάττης· ὅπου δὲ καὶ ἐν ταῖς χερσὶ τῆς μητρὸς τὸ θάλος τοῦ παιδὸς καὶ τὴν ὥραν καὶ τὸ ἄνθος. κ. τ. λ. *Palæmonem vero æquum est* (in Sacris Neptuni) *& dicere, & nominatim appellare, juramentoque adhibere, & mysteriis sub ipso initiari (tam festivus est puer) pictumque etiam contemplari, idque vel Delphino insidentem, vel ipso maris vectum æquore, vel in maternis manibus florentem & vernantem puerum comprehensum. Hæc enim spectacula & visu sunt & auditu pulcherrima: nec indecenter mare tranquillum ibidem appingitur, & Neptuno puer ex peplo arridens. Aliud autem præterea nihil est appingendum, qualia sunt in impiis quibusdam & horrendis picturis, quas ego tum qui primi viderunt, miror quomodo ab earum Opificibus & Auctoribus manus abstinere potuerint, tum cur adhuc mediis in Templis conspiciantur, verumtamen meum non est hæc reprehendere. Restat igitur, ut Neptunum, Amphitriten, Leucotheam, Palæmonem, Nereidas, omnesque marinos Deos & Deas comprecati &c.* Loquitur heic de Imaginibus adoratis Aristides, loquitur de pictis Imaginibus, sub quibus fas erat, mysteriis initiari; loquitur demum de ratione pingendi Deos illos marinos, quos appellare & advocare consueverant, eorum ex tabulis ea removeri optans, quæ dedecus eisdem conciliabant Diis; qua de re convenire videtur cum Aristotele, qui de indecoris quærebatur Deorum, quas Ethnici soliti erant colere Picturis.

Julianus Imperator in Fragmento Orationis cujusdam, sive Epistolæ, ceteris ejus cum Operibus edito, Deorum Imaginum vindicias suscipiens, ita scribit: *Nos Deorum Imagines contuentes, neque lapides, neque ligna nobis esse persuademus, sed neque Deos ipsos hæc eadem esse credimus. Nam nec Imperatorum Imagines lignum, aut lapidem, aut æs appellamus; neque vero Imperatores ipsos, sed Imperatorum Effigies. Porro quisquis Regis amans est, Regis imaginem libenter aspicit: veluti qui filium amat, imaginem filii, & qui Patrem amat, Patris effigiem libenter intuetur. Eadem ergo ratione qui Deos amat, libenter Simulacra Deorum & imagines conspicit.* ἀφορῶντες οὖν εἰς τὰ τῶν θεῶν ἀγάλματα, μή τοι νομίζωμεν αὐτὰ λίθους εἶναι, μήτε ξύλα,

μηδὲ

μηδὲ μὲν τοι τὰς Θεὰς αὐτὰς εἶναι ταῦτα· καὶ γὰρ οὐδὲ τὰς βασιλικὰς εἰκόνας βασιλέων. Ὅστις οὖν ἐστὶ φιλοβασιλεύς, ἡδέως ὁρᾷ τὴν τοῦ βασιλέως εἰκόνα· καὶ ὅστις ἐστὶ φιλόπαις, ἡδέως ὁρᾷ τὴν τοῦ παιδός· καὶ ὅστις φιλοπάτωρ, τὴν τοῦ πατρός· οὐκοῦν καὶ ὅστις φιλόθεος ἡδέως εἰς τὰ τῶν Θεῶν ἀγάλματα, καὶ τὰς εἰκόνας ἀποβλέπει. Hoc in loco Julianum indicare cultas promiscue fuisse Deorum Statuas & pictas Tabulas, tria evincunt, primum quidem, dum Imagines ξύλα vocat *ligna*, quod, ut jam innuimus, ligneis in tabulis Imagines depingerentur, alterum, dum Imagines Deorum confert cum Imaginibus Imperatorum, quas plurimum pictas fuisse, etiam vidimus. Postremum, quod Imagines a Simulacris discriminari videatur, aut voci *Simulacra*, vocem *Imagines* adjiciat, ex quo hasce pictis pro Tabulis esse accipiendas docebimus in loco.

Ad Latinos autem confugiamus Ethnicos Scriptores. Cicero, Libro in Verrem IV. de furtis & rapinis illius loquens, quibus Achajam, Asiam, Pamphyliam, Siciliam elegantioribus Deorum Simulacris, Tabulisque sacris spoliaverat; *Quid arbitramini*, inquiebat, *Rheginos mereri velle, ut ab eis marmorea illa Venus ne auferatur? quid Tarentinos, ne Europam in auro sedentem amittant? ut Satyrum, qui apud illos in Æde Vestæ est? ut cetera? Quid Thespienses, ut Cupidinis Signum, propter quod unum visuntur Thespiæ? Quid Cnidios ut Venerem marmoream? quid ut pictam Coos? Quid Ephesios, ut Alexandrum? Quid Cyzicenos, ut Ajacem, aut Medeam? Quid Rhodios ut Jalysum? Quid Athenienses, ut ex marmore Jacchum; aut Paralum pictum; aut ex ære Myronis bucculam?* Nonne eandem nobis exhibet Tullius erga Imagines cum sculptas, tum etiam pictas, Ethnicorum Religionem? Nonne eadem cura retinere marmorea sua Veneris Simulacra optabant Rhegini & Cnidii, ut suam Venerem depictam Coi? Nonne eadem Thespiensium Religio erga Cupidinis Signum, ac Rhodiorum erat erga Jalysum suum pictum, quem Heroem Urbis conditorem fuisse alii censent, alii ipsum Bacchum? Ejusmodi Jalysi, de qua heic Tullius Imaginem, mira arte a Protogene Caunio depictam, describit *in Vita Demetrii* Plutarchus, qui Rhodiorum quoque pro tam insigni opere ad hostem Demetrium preces non omittit. Eandem, inquam, erga utriusque generis Imagines Religionem Ethnicorum exhibet nobis Tullius, quod evidentius erui etiam potest ejusdem ex verbis statim eodem loco recitatis: *Quid tum:* subdit, *mediocri ne tandem dolore eos affectos esse arbitramini? Non ita est Judices: primum, quod omnes Religione moventur, ut Deos patrios, quos a Majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur: deinde hic ornatus, hæc opera atque artificia, Signa, Tabulæ pictæ, Græcos homines nimio opere delectant.* Haud minus igitur in pictis Tabulis, quam in Statuis, patrios a Majoribus acceperant

rant

tant Deos Ethnici, illosque, uti in Signis atque Simulacris, ita & illis in Picturis, diligenter colendos sibi, retinendosque arbitrabantur. Libro autem de Legibus III. scribebat Cicero: *Quis enim ferret istos, cum videret eorum Villas Signis & Tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris & religiosis?* Quod aut jure Victoriæ tamen, (quæ sacra omnia, profana faciebat) aut sacrilegio veluti evenerat, & nimio posteriorum Romanorum luxu. Ceterum, citra infrequentes hos casus, uti erga Simulacra Deorum & Signa, ita eorundem erga Picturas suam mille modis ostendebant Ethnici Religionem, illasque extra Templa etiam positas religiose salutabant; quem ad morem adlusit in Satyrico Petronius, ita scribens: *In Pinacothecam perveni vario genere Tabularum mirabilem, nam & Zeuxidos manus vidi, nondum vetustatis injuria victas, & Protogenis rudimenta, cum ipsius naturæ veritate certantia, non sine aliquo horrore tractavi. Nam etiam Apellis, quam Græci monocromaton appellant, etiam adoravi. Illinc candidus Hylas repellebat improbum Najada. Damnabat Apollo noxias manus, lyramque resolutam modo nato flore honorabat.* Ad illorum superstitionem heic adludit Petronius, qui vetere adorandi ritu, manui osculum infigentes, aut caput curvantes, sculptas pictasque Deorum imagines religione quadam salutabant. Religiosum enim actum phrasi illa, *etiam adoravi*, Petronium denotare voluisse, præterquamquod, ex vi vocis, sexcentis testimoniis, & infinitis ostendit exemplis Beyerus, in *Additamentis ad Caput III. Prolegomen. ad Syntagma Seldeni de Diis Syris*; confirmari eodem potest ex Petronio, quemdam conscensurum navem, ita loquentem inducente: *Ego cum Gitone quidquid erat in alutam compono, & adoratis Syderibus intro Navigium.* Castorem quo in loco vult innuere & Pollucem, qui Sydera a Nautis vocabantur.

Animadvertendum jam vero Ethnicos Scriptores, quum de formis Deorum suorum loquebantur, ea usos fuisse dicendi ratione, ut pictas sculptasque Imagines ipsorum, in sermone frequentissime conjungerent, quicquid sculpturæ afferebant, Picturæ quoque tribuentes, Numinumque cognitionem & cultum utrique debitum arti ostendentes. Ita Cicero, Libro de Natura Deorum I. *Quis tam cæcus in contemplandis rebus umquam fuit*, scribit, *ut non videret species ipsas hominum collatas in Deos, aut consilia quondam Sapientum, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum a vitæ pravitate converterent; aut superstitione, ut essent Simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem Poetæ, Pictores, Opifices. ---- Jovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Apollinem, reliquos Deos ea facie novimus, qua Pictores, Fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu atque vestitu.* Videtur heic de Origine Idololatriæ disse-

differere Orator, quam uti errori humano, & Politicorum filiis, ita Poesi adserit, Picturæ, ceterisque artibus; aut alteri ortum, aliis incrementum vult debuisse suum; quæ omnia elegantissimo comprehendit carmine Poliniacus Cardinalis, Libro Antilucretii IX. v. 88.

Inde per humanas gliscente libidine mentes,
Vera Dei sensim species squallescere cœpit.
Nam Populi Dominum veriti, at quis funditus esset
Obliti, non jam æternum, non simplicem & unum,
Multiplici fœde pictum coluere figura:
Membratim in varios ausi discerpere Divos,
Atque Deas; prout usus erat, suasitque cupido.
Venit adulatrix & fallax turba clientum:
Huc accesserunt Sophiæ mysteria tectæ,
Et mirabilium inventrix Facundia rerum,
Historiæ male tuta fides, & carmina Vatum
Ingeniosa, vel affinis Pictura poesi.
Qui quondam in rebus Numen videre creatis
Thure salutabant res ipsas. &c.

Revertamur ad Ethnicos Scriptores. Horum igitur auctoritate, Dii ea tantum facie cognoscebantur qua Pictores esse voluerunt. Horum testimonio, ad Picturam confugiebant Ethnici, quo Deos Deasque noscerent; inde Persii illa Satyra VI.

Sum tibi Mercurius. Venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur.

Verum, ut inquiebam, si ad Imagines Deorum Scriptores Ethnici adludebant, si aliquid cum Deorum Imaginibus conferebant, uti sculptas, ita æque memorabant pictas. Tullius, Libro de Divinatione I. contra Carneadem disputans, scribit: *Aspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Gnidiæ, Coæque pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas?* Gnidiam Venerem fuisse marmoream, Coam vero depictam, quis ignorat? Magis id ex Luciano tamen patet, qui, *in Imaginibus*, Politheam suam effingere conatus est, non modo ex publice illis cultis eboreis, marmoreisque Dearum Statuis, sed ex publicis etiam pictis earumdem Tabulis; quum enim aliqua e Venere Gnidia decerpta voluisset, aliqua e Venere Hortensi Alcamenis, accersendos subdebat Pictores Polygnotum, Euphranorem, Apellem, & Aetionem, qui symbolam veluti conferrent. Itaque Politheæ suæ *Euphranor*, inquiebat, *colorem comæ illius conferat, qualem Junonis comam coloribus expressit.* ὁ μὲν Εὐφράνωρ χρωσάτω τὴν κόμην οἵαν τῆς Ἥρας ἔγραψεν. Ejusmodi vero Junonis tabulam fuisse pictam, imo haud minus religiose cultam, quam Statuas Gnidiæ Veneris, & Veneris Hortensis, non evincit mo-

 do agen-

do agendi ratio Luciani, qui ex celebrioribus Dearum Imaginibus publico donatas cultu mulieris speciem suæ concinnatam cupiebat, uti cultæ revera erant allegatæ ab ipso Veneris Statuæ; verum confirmat id vehementius ejusdem Dialogus qui sequitur *pro Imaginibus*, in quo inducitur Luciani Accusator, quod mulierem suam ex tam sanctis adoratisque Dearum Imaginibus contexuisset; ipsaque iccirco inducitur de Luciano querens Polithea, quod se cum Imaginibus adcovenerandis contulisset; inquit enim: *sed hoc unum non ferens, quod eam cum Deabus Junone & Venere comparaveris*. ἓν δὲ τῦτο ὐ φέρυσα, ὅτι θεαῖς αὐτὴν, Ἥρᾳ, καὶ Ἀφροδίτῃ εικασας. Nulla autem alia Juno illis in Imaginibus Luciani, quam ab Euphranore depicta. Subjicit: *Veneri & Junoni assimilare, quid aliud est, quam Deas ex professo extenuare?* Ἀφροδίτῃ καὶ Ἥρᾳ εἰκάσαι, τί ἄλλο, ἢ ἄντικρύς ἐστιν εὐτελίζειν τὰς θεάς; Quum vero haud minus violatæ fingatur Religionis reus Lucianus suam ob Pantheam pictæ Junoni, quam Veneri marmoreæ in Gnido cultæ assimilatam; ut Gnidia Venus divinis apud Ethnicos honoribus gaudebat, ita consequens est, eisdem gavisam fuisse Junonem illam in tabula depictam.

Ceterum, nos modum dicendi potius in præsentia considerandum ducimus, ex quo promiscuum cum Deorum, tum etiam Heroum in Imaginibus Sculpturæ Picturæque usum, utriusque iccirco Imaginum generis cultum inferamus. Nonne & ita ratiocinandi ansam præbet Statius quoque, Libro Sylvarum I. ubi in Imaginem Domitiani scribit:

Salve magnorum proles Genitorque Deorum
Auditum longe Numen mihi.
- - - - - - - - - - - - - -
Utere perpetuum Populi, magnique Senatus
Munere: Apellea cuperent te scribere ceræ,
Optassetque novo similem te ponere Templo
Atticus Elei senior Jovis & tua mitis
Ora Taras: tua sydereas imitantia flammas
Lumina, contempto mallet Rhodos aspera Phœbo;
Certus ames terras, & quæ tibi Templa dicamus
Ipse colas.

Nonne, inquam, Picturis æque & Statuis divinos Heroibus honores decretos exhibitosque heic Statius ostendit? Quod apertius & clarius ante Vatem hunc dixerat Horatius, Libro Carminum IV. Ode 8.

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Grajorum: neque Tu pessima munerum

Ferres.

Ferres: divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas:
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Verum & aliquando veteres Scriptores ad solas Deorum & Heroum cultorum Imagines respiciunt coloribus expressas. Sæpe allegatus Lucianus *in Cynico*, hunc ita inducit loquentem: *Neque Græcorum solum, sed Barbarorum etiam Templa circumspicias, utrum ipsi Dii, ut ego, comati, barbatique sunt, an quemadmodum vos, rasi finguntur, atque pinguntur.* πλάττονται, καὶ γράφονται. Et in Dialogo de Astrologia scripsit: *Quod siquando videris Orpheum, vel saxo expressum, vel coloribus effictum &c.* ἢν δὲ ποτε Ὀρφέα ἴδης, ἢ λιθοισιν, ἢ χροιῇ μεμιμημένον. Denique idem Auctor, *in Symposio*, Alcidamantem inducit quendam Cynicum dicentem: *Quod si defatigatus fuero, tum humi substrato pallio, cubito innixus jacebo, qualem Herculem pingunt.* οἷον Ἡρακλέα γράφουσιν; & paullo post: *jacebat seminudus, cubito humi fixo innitens, simulque dextera scyphum tenens, qualem Herculem Pholensem Pictores exprimunt.* οἷος ὁ παρὰ τῷ φόλχῳ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν γραφέων δείκνυται. Athenæus autem, Libro Deipnolophistarum XIII. sexcentos adducit Scriptores veteres de Pictoribus querentes, quod hunc vel illum recte non expresserint Heroem aut Deum; certum, ut reor, argumentum, pictas illas Imagines publice prostasse; quin ipse haud video quonam quis posset fundamento propugnare, nullam tot Deorum ex picturis publico fuisse cultu consecratam.

Pausanias *in Boeoticis*, sive *Libro Descriptionis Græciæ IX.* de cultu fuse differens Gratiarum, quum depictas earum imagines recenseat, in Templis præsertim exstantes, caussa est cur inferamus, Picturas ejusmodi, cultas ab Ethnicis fuisse. Smyrnæos suas æque pictas habuisse Gratias, eodem subjicit Pausanias in Libro. *Qui primus*, inquit, *Gratias vel finxerit, vel pingendo nudas ostenderit, numquam comperi. Apud priscos enim homines cum vestimentis eas tam a Fictoribus, quam a Pictoribus factas novi. Nam & apud Smyrnæos, cum in Nemesum fano, præter cetera signa, ipsæ etiam Gratiæ aureæ erectæ sunt, quas Bupalus fecit: tum vero in Odeo Gratiæ imago picta ab Apelle .... Qua vero ratione ita Gratiarum ornatum immutaverint, ut omnes postmodum nudas plane fecerint ii, quibus eas vel fingendo, vel pingendo exprimere curæ fuit, mihi certe compertum non est.* ὅστις δὲ ἦν ἀνθρώπων ὁ γυμνὰς πρῶτος χάριτας ἤτοι πλάσας, ἢ γραφῇ μιμησάμενος, οὐχ οἷόν τε ἐγένετο πύθεσθαι με. ἐπεὶ τάγε ἀρχαιότερα ἐχούσας ἐσθῆτα οἵτε πλάσαι καὶ κατὰ ταυτὰ ἐποίουν οἱ ζωγράφοι. καὶ Σμυρναίοις τοῦτο μὲν ἐν τῷ ἱερῷ τῶν Νεμέσεων ὑπὲρ τῶν ἀγαλμάτων χρυσοῦ χάριτες ἀνάκεινται, τέχνη Βουπάλου· τοῦτο δὲ σφισιν ἐν τῷ ᾠδείῳ χαριτός ἐστιν εἰκὼν

Ἀπελ-

Α'πελλῦ γραφῇ. --- Οἱ δὲ ὕϛερον, οὐκ οἶδα ἐφ' ὅτῳ αἱ κατ' ἐμὲ ἐπλασονόντι καὶ ἔγραφον γυμνάς. Qui aliquem hisce in rebus habet sensum, eruere facile sane potest, in sacris Ethnicorum Imaginibus eos promiscue Sculptura & Pictura usos fuisse, quum hoc Pausanias in loco ubi de cultu æque & forma vestituque Gratiarum agit, ipsas olim cum a Fictoribus, tum etiam a Pictoribus vestimentis ornatas fuisse ait, a posterioribus autem ejusmodi Opificibus nudas effictas; nulla memorata sacras inter & profanas Gratiarum tabulas diversitate. Imo quum ostendendæ Boeotiorum erga Gratias Religioni, omnes, quas in Boeotiæ Templis, sive pictas, sive sculptas earumdem vidit Imagines retulerit, erui jure meritoque potest, Imagines utrasque sacro fuisse cultu in Boeotia donatas.

Plutarchus omnibus modis cultum Imaginum pictarum apud Ethnicos testatur; nam & Picturas refert adoratas, & eo scribit pacto, ut ejus ex dicendi ratione Deos in picturis fuisse ab Ethnicis cultos, summo jure consequamur. In Libro siquidem *de Iside & Osiride*, in quo universam Ægyptiorum de Natura Divina doctrinam enarrat, sive Hieroglyphica explicat primis temporibus, ceu Numinum figuras & symbola, ab Ægyptiis culta, de involucris per transennam loquens Pythagoricæ Philosophiæ, ab Ægyptiæ doctrinæ ambagibus, ut ait Plutarchus, derivatis, hæc legimus: Δοκῶ δὲ ἔγωγε καὶ τὴν μονάδα τῶς ἄνδρας ὀνομάζειν Ἀπόλλωνα, καὶ δυάδα τὴν Ἄρτεμιν Ἀθηνᾶν δὲ τὴν ἑβδομάδα Ποσειδῶνα δὲ τὸν πρῶτον κύβον, ἐοικέναι τοῖς ἐπὶ ἱερῶν ἱδρυμένοις καὶ δρωμένοις νὴ Δία καὶ γραφομένοις. κ.τ.λ. *Ego vero sentio, quod Pythagorei unitatem appellant Apollinem, binarium Dianam, septenarium Minervam, primum cubum Neptunum, convenire cum his quæ Ægyptiorum in templis erecta sunt, atque adeo ostenduntur, & pinguntur. Regem enim & Dominum Osirim, oculo & sceptro pictis exprimunt. Cælum, quia ob perpetuitatem nunquam senescat, corde picto significant, cui focus ardens subjectus sit ---- Neque putant Solem infantem recens natum e loto exstitisse: sed sic ortum Solis pingunt, innuentes quomodo is ex humidis accendatur.* Et rursus: *Osirim oculo & sceptro pictis exprimunt, oculo providentiam, sceptro potentiam demonstrante. Accipitre etiam picto Osirim sæpe proponunt, avis enim & pollet acumine visus, & volatus celeritate &c.* Qua cum Plutarchi descriptione convenit descriptio æque a Cyrillo Alexandrino facta, ubi Libro contra Julianum IX. scribit: Τὸ γάρ τοι θεῖον ἤτοι ἀνωτάτω καὶ ὑπὲρ πάντα φύσιν κατάδηλοῦν ἐθέλοντες γράφουσιν ὀφθαλμὸν, ὀρθὴν αὐτῷ ῥάβδον ὑποςήσαντες. κ.τ.λ. *Ægyptii Deum significare volentes, summam scilicet, & quæ super omnia est naturam, pingebant oculum, cui & sceptrum substituebant: ut per hoc intelligeretur: quod omnia videat, & sit ei regia dignitas: nam sceptrum fere semper intelligitur Regis symbolum.* Sed de

pictis

pictis Ægyptiorum Hieroglyphicis dictum jam olim satis. Magis præstat ex Plutarcho eruere an aliæ Gentes Imagines Deorum pictas adoraverint; qua de re argumentum in hoc ipso *de Iside & Osiride* Libro nobis idem Auctor præbet, dum scilicet scribit: Οὐ δεῖ δὲ θαυμάζειν εἰ γλίσχρας ὁμοιότητας οὕτως ἠγάπησαν Αἰγύπτιοι καὶ Ἕλληνες ἔν τε γραπτοῖς ἔν τε πλαστοῖς εἰκάσμασι θεῶν ἐχρήσαντο πολλοῖς τοιούτοις. *Enim vero mirari nemo debet, Ægyptiis ita exiles similitudines adrisisse; quum Græci etiam pictis fictisque Deorum Imaginibus multa talia adhibuerint*. Magis id confirmat tamen, quum ad viva descendens animalia, quæ suo tempore, ceu Deorum Symbola, jam Ægyptii coluerant, & ejusmodi Sacra cum Græcorum Religione conferens, qui propositis Imaginibus ad humanam speciem efformatis, Deos in illis venerabantur; in Ægyptiorum ritibus vindicandis totus, ceu vivis in animalibus meliora sibi proposuissent, quam Græci Divinitatis Symbola, ita differit. Ἀγαπητέον οὖν οὐ ταῦτα τιμῶντας, ἀλλὰ διὰ τούτων τὸ θεῖον, ὡς ἐναργεστέρων ἐσόπτρων καὶ φύσει γεγονότων, ὡς ὄργανον ἢ τέχνην ἀεὶ τοῦ πάντα κοσμοῦντος θεοῦ νομίζειν καλῶς. κ. τ. λ. *At enim probandi sunt, non qui istbæc, sed qui per hæc Numen venerantur; istaque recte habentur pro speculis clarioribus, & a naturu suppeditatis, tamquam instrumenta & artificia Dei universa ornantis. Æquum est hoc intelligi, nihil inanimatum animato, nihil sensu carens sentiente præstantius esse: etiam si quis universum aurum & smaragdum in unum comportaret locum. Non enim in coloribus, aut figuris, aut levitatibus inest Divina Natura; quin imo deteriore illud conditione est, quam res vita exutæ, quod neque vixit umquam, neque vivendi habuit in se facultatem; quæ vero natura vivit, videt & in se principium motus, notitiamque sibi convenientium & alienorum a se continet, omnino particulam aliquam defluentem hausit ejus Providentiæ, qua gubernari hoc Universum Heraclitus dixit*. Nobile hoc mihi profecto videtur testimonium, quo Græcos, ceterosque, qui Imaginibus arte factis utebantur Populos Tabulas coluisse pictas certissime eruamus, quo enim Ægyptios tunc viva colentes animalia Plutarchus vindicaret, ea divinis virtutibus & adtributis ostendendis idonea esse magis dixit, quam *colores*, *figuras*, ceterasque Imagines ab aliis Populis adoratas; neque *coloribus aut figuris* Divinam inesse Naturam. Eam igitur coloribus expressam aliæ ab Ægyptia Gentes venerabantur.

Aliud quod id eruamus testimonium & momentum præbet nobis Plutarchus in Vita Numæ Pompilii scribens: Ἔστι δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀφιδρυμάτων νομοθετήματα παντάπασιν ἀδελφὰ τῶν Πυθαγόρου δογμάτων· οὔτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν ἢ παθητὸν ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ πρῶτον. κ. τ. λ. *Quæ de Deorum immortalium Imaginibus (Numa) statuit, quam simillima sunt prorsus Pythagoræ documen-*

cumentis. Nam primum principium ille, neque ſenſui, neque perturbationibus ſubjectum, ſed mentem inviſibilem & increatam eſſe cenſuit. Hic autem Romanos probibuit exiſtimare Imaginem Dei, aut hominis ſpeciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos neque picta, neque ficta Dei prius ſpecies; ſed in prioribus centum & ſeptuaginta annis templa quidem ædificabant, ſacraque tuguria erigebant, Imaginem vero nullam corpoream faciebant, perinde atque nefas eſſet deterioribus meliora aſſimilare, neque aliter quam intelligentia percipi Deus poſſit. Loquitur heic de Sacris a Numa inſtitutis Plutarchus, itaque de Imaginibus loquitur non adoratis per oppoſitionem, ut ita loquar, ad Imagines deinde a Romanis cultas cum fictas, tum etiam pictas; ſiquidem præcipiente Numa, nulla *neque picta*, *neque ficta* eſſe apud illos potuit Numinis Imago. Ait vero Plutarchus Numæ ea de re legem conveniſſe cum legibus Pythagoræ; Pythagoræ leges vero, hac in parte, conveniebant, ut ex Clemente Alexandrino diximus, cum legibus Moyſis, præcipientibus, *nullam aut ſculptam, aut conflatam, aut fictam, aut pictam Imaginem faciendam*. Uti igitur Moyſes & Pythagoras, ita etiam cavit Numa, ne pictæ Imagines eo quo ſculptæ pacto adorarentur; certiſſimum indicium, fuiſſe illas ab iis qui Moſaicis, aut Pythagoricis, aut Numæ legibus non tenebantur adoratas. Qua imo de re optimum in rem ſe profert noſtram Philoſtrati etiam in Vita Apollonii teſtimonium; hunc ſiquidem inducit ille, Libro V. Cap. 9. de Imaginibus Deorum cum Ægyptiis diſputantem, & in hæc tandem erumpentem verba: *Venerabiliores ego fuiſſe Deos arbitrarer, ſi eorum nulla Imago exſtitiſſet. Potuiſſentque Veteres templa conſtruere, & in ipſis altaria erigere, tum etiam quid ſacrificare liceret, aut non liceret, inſtituere; nullam autem Deorum effigiem in Templis erigere, ſed eorum effigies illis relinquere excogitandas, qui ſacrificatum accederent; mens enim deſcribit & format aliquid omni Sculptura Picturaque præclarius.* ἦν γάρ που νεὼς μὲν αὐτοῖς ἐξοικοδομῆσαι, καὶ βωμοὺς ὁρίζειν, καὶ ἃ χρὴ θύειν, καὶ ἃ μὴ χρή. καὶ ὁπηνίκα, καὶ ἐφ' ὅσον, ὅτι λέγοντας, ἢ δρῶντας· ἄγαλμα δὲ μὴ φέρειν, ἀλλὰ τὰ εἴδει τῶν Θεῶν καταλείπειν τοῖς τὰ ἱερὰ ἐσφοιτῶσιν. ἀναγράφη γάρ τι ἡ γνώμη, καὶ ἀνατυποῦται δημιουργίας κρεῖττον. Totus ſermo de Imaginibus Deorum in Templis erectis erat, num venerabiliores Græcæ, an Ægyptiæ? de Imaginibus, quibus ſacrificia offerebant publice, iiſque, ut patet, Sculptura aliquando quidem, aliquando etiam pictoria arte efformatis & expreſſis.

Prætereo infinita Plutarchi loca, eo prolata modo, ut promiſcuus Signorum & pictarum Tabularum in Ethnicorum Sacris uſus indicetur. In Vita Fabii Maximi de Tarentinis ſcribens ab ipſo captis atque ſuperatis, ita fatur; Πάντων δὲ τῶν ἄλλων ἀγομένων καὶ φερομένων

των λέγεται τὸν γραμματέα πυθέσθαι τȣ̃ Φαβίȣ περὶ τῶν Θεῶν τικελέυει τὰς γραφὰς οὕτω προσαγορέυσαντα καὶ τȣ̀ς ἀνδριάντας· τῶν ȣ̃ν Φάβιον εἰπεῖν, Ἀπολείπωμεν τȣ̀ς Θεȣ̀ς Ταραντίνοις κεχολωμένȣς. *Vexatis igitur, direptisque aliis, dicitur Scriba a Favio contendisse, quidnam de Diis fieri juberet, Imaginibus & Statuis videlicet, ita nuncupatis. Ad ea Fabius respondisse: Relinquamus Tarentinis infestos Deos*. In Vita Luculli vero, hæc de Urbibus Asiæ narrat: Ὑπὸ των τελωνῶν καὶ τῶν δανειστῶν πορθȣμένην καὶ ἀνδραποδιζομένην πιπράσκειν ἰδίᾳ μὲν ὑιȣ̀ς ἐυπρεπεῖς, θυγατέρας δὲ παρθένȣς. δημοσίᾳ δ' ἀναθήματα, γραφὰς, ἱερȣ̀ς ἀνδριάντας, ἀναγκαζομένων. *Has fœneratores & publicani a se conculcatas usque adeo dilacerabant, ut privatim ingenui liberi, filiæque Virgines, publice vero donaria, Deorumque Picturæ & Statuæ venderentur*. Similia, inquam, sexcenta præterire placet, quorum de sensu agemus Capite sequente. Haud omittere placet tamen nonnulla ita ab Ethnicis Scriptoribus relata, ut eam qua acti erant erga Picturas Religionem quodamodo indicare videantur. Vitruvius, Libro de Architectura III. *Optamus*, inquiebat, *diligenter a nostris Pictoribus considerari, ut intelligant, quanto major diligentia & industria in Picturis sacris ponenda sit quam in profanis*. Libro autem Deipnosophistarum XII. Cap. XI. de Parrhasio scribit Athenæus: *Veluti prodigium quoddam referebat Parrhasius, quum in Lindo Herculem ipse pingeret, talem se Deum repræsentasse, & picturæ accomodasse, qualis per somnium ipsi apparuerat*. Τερατευόμενος δὲ ἔλεγεν ὅτι τὸν ἐν Λινδῳ Ἡρακλέα ἔγραφεν, ὡς ὄναρ αὐτῷ ἐπιφαινόμενος ὁ Θεὸς χηματίζοι αὐτοῦ πρὸς τὴν τῆς γραφῆς ἐπιτηδειότιτα. Themistius, Oratione XIV. scribit: *De Parrhasio ferunt, quum pingendum Mercurium suscepisset, suam in tabula Imaginem expressisse: & hodieque spectatores scripturæ inscriptione falluntur; existimant enim a Parrhasio Deum ipsum honoris caussa hoc munere affectum esse, a pictura longius aberrantes*. Φασὶ τὸν Παῤῥάσιον, ὅτι γράφειν τὸν Ερμῆν ἐγχειρήσας, τὴν ἑαυτοῦ μορφὴν τῷ πίνακι ἐγκατέθετο, καὶ ἐξαπατᾷ τοὺς ἀνθρώπους τὸ ἐπίγραμμα τῆς εἰκόνος. οἴονται γαρ ὅτι Παῤῥάσιος ἑαυτὸν ἐτίμησέ τι καὶ ἐκύδηνε τῷ ἀναθήματι, πόῤῥω ὄντες τῆς ζωγραφίας. Ut imo Sancti Patres Ethnicorum insaniam irridebant, quod sub Dearum speciebus imagines potius Meretricum adorarent, ita Ethnicos intelligimus Scriptores studio zeloque superstitionis actos, de Pictoribus illo artem sacrilegio, ut loquebantur, polluentibus, fuisse questos. Plinius revera, Libro Historiæ Naturalis XXXV. Cap. 10. *Fuit*, inquiebat, *Arellius Romæ celebris paulo ante Divum Augustum, nisi flagitio insigni corrupisset artem; semper alicujus fœminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens, sed Dilectarum imagine*. Simili laborasse malo, ob Helpinecæ amorem, Polygnotum, Heroum certamina in Pœcile porticu pingentem, adnotat Plutarchus, in Vita Cimonis.

Num vero flagitii fuissent postulati ejusmodi Artifices si picta Dearum Tabulæ non fuissent adoratæ?

CAPUT VII.

Ethnicorum testimoniis Scriptorum in examen revocatis, illustratis, atque propagatis, uberius confirmatur, pictas Deorum Tabulas ab Ethnicis fuisse adoratas.

ANTEQUAM procedat Disputatio operæ pretium est, nonnullis Objectis occurramus, quæ adversus hucusque relata efformari possent. Primum illud quidem erui potest ex voce *Imago*, quam cum apud Patres, tum etiam apud Ethnicos Scriptores ita nos accepimus ac si pictam Tabulam, sive Imaginem pictam denotaret; qua tamen de re aliqui dubitandum ducerent, quum vox illa veteres apud Scriptores non semper Imaginem significet coloribus expressam, sed Statuam etiam aliquando denotet, sive Signum atque Simulacrum. Licet enim, ut recte etiam animadvertit noster Henricus Scalesius, *in Proœmio ad Satyram I. Persii*, Imago proprie dicta, hoc a Statua vere differat, quod hæc sive e ligno, sive ex ære, vel marmore, aut alio solido corpore comparata, trinam habet dimensionem: illa vero tantum binam: nam dumtaxat superficie tenus rem repræsentat pictis coloribus, & quantum ad extremam corporis formam, latitudinem videlicet & longitudinem absque profunditate; ast Imaginis tamen nomen ad Statuam proprie dictam significandam translatum sæpenumero invenitur, quod Imago ad Statuam se tamquam genus ad speciem habere videatur. Hujus autem rei exempla sunt apud Scriptores veteres innumera. Nec defuere etiam, qui animadverterent, procera quidem Simulacra, & altitudini hominis respondentia, Statuas; breviora Simulacra tamen, appellata fuisse Imagines & Signa. Petronius in Satyrico, ubi de Larium brevibus signis super Trimalchionis mensa positis scribit, adjicit quoque: *Nos etiam allatam Imaginem ipsius Trimalchionis, cum jam omnes basiarent, erubuimus præterire*. Sane, proprie si loquimur, Statuæ Imagines erant ex marmore; Signa, Imagines ex ære. Utriusque generis imagines tamen confusas reperimus apud Scriptores, & utrasque Statuarum, Simulacrorum, & Signorum nominibus donatas; & quamvis, ut Quintilianus etiam animadvertit, *Libro III. Cap.* 12. opera auro, argento, ære, ferroque effecta ad Cœlaturam spectent; Sculptura vero lignum, ebur, marmor, eaque, in quibus figuræ exstant ectypæ, complectatur; uti de his quæ ad signandum cavantur Sculptura dicitur; ast tamen communi *Sculptilium* nomine denotare veteres etiam Scriptores consuevere Simula-

cra

cra sive ex ligno, ebore, & marmore, sive etiam ex auro, argento, ære, ferroque conflata. Idem atque de voce *Imago*, de voce E'ικὼν statuendum, qua proculdubio statuis etiam denotandis usi sunt Græci, probati quoque, Scriptores. Docendum igitur esset, quanam de caussa voces *Imago*, & E'ικὼν, apud Patres, prophanosque Scriptores, de pictis Deorum tabulis, in locis interpretemur allegatis, neque sinamus eas de Statuis, brevibusque de Signis accipi. . .

Cui Objecto tamen occurrere difficile non est, si serium in examen revocetur. Tametsi quippe Pitisci doctrina heic uti in rem nostram non placeat, qui Romanarum in Lexico Antiquitatum scribit: *Quamquam non raro Imagines dicantur, quæ ex metallo & marmore sunt; tamen proprie Imago est, quæ vel cera exprimitur, vel coloribus & pictura repræsentatur; & differt a Statua, quæ proprie lapidea est, sive ænea; Imago vero, vel cerea, vel picta*; tametsi, inquam, hac doctrina uti non placeat in præsens, ajo tamen in allegatis cum Sanctorum Patrum, tum etiam Scriptorum Ethnicorum testimoniis, voces *Imago*, & ἰικὼν pictas denotare Tabulas, videlicet quum vox *Imago* additur voci *Statua*, vel aliqua Deorum *de Statuis & Imaginibus* una adfirmantur aut negantur. Illa siquidem in phrasi, vox *Statua* quum ad Simulacrum referatur, *Imago* ad picturam referri debet. Beroaldus revera ad verba Svetonii de Tiberio, Cap. XXVI. *Templa, Flamines, Sacerdotes decerni sibi prohibuit: etiam Statuas atque Imagines, nisi permittente se, poni*; Beroaldus, inquam, egregius Svetonii illustrator, recitata verba *Statuas atque Imagines*, ita explicat: *Hæc duo disparavit, tamquam diversa, sicut Historici faciunt. Statuæ enim sunt æneæ & lapidae, Imagines, cereæ & pictæ*. Eadem ratione, ubi Svetonius de Nerone scribit: *abjicique in latrinas omnium Statuas & Imagines imperavit*; ubi, inquam hæc in Neronis vita Svetonius, vocem *Imagines* interpretatur *pictas tabulas* Sabellicus. Plinius Secundus, Libro Epistolarum IV. ad Lepidum scribens, inquit: *Placuit Regulo lugere filium: luget ut nemo. Placuit Statuas ejus & Imagines quamplurimas facere; hoc omnibus officiis agit. Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit*. Ad quæ sic modum dicendi illum *Statuas & Imagines*, illustrat suo in Plinium Commentario doctissimus Cattanæus. *Hic Imagines refert ad Picturam, & ceram; Statuas ad ea, quæ fiunt ex marmore, ære, argento, & similia*. Quin & eam fuisse Ethnicorum agendi rationem, qua suam erga vita functos pietatem ostenderent, non tam Statuis scilicet, quam pictis eos Imaginibus repræsentarent, erui e Statio potest, Libro Sylvarum I. Carmine I. Abascantii amici sui Uxorem Priscillam fato functam laudaturo:

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,

Aut ebur, impressis aurumque animare figuris,
Hinc Priscilla tuo solatia grata marito
Conciperem: namque egregia pietate meretur,
Ut vel Apellæo vultus signata colore,
Phidiaca vel nata manu, reddare dolenti.
Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.

Svetonius in Vita Caligulæ Cap. 34. hæc refert: *Vetuit posthac viventium cujusquam Statuam & Imaginem, nisi consulto se, & auctore, poni*. Quid illa sibi velint *Statuam & Imaginem*, ex Dione eruere est, Libro LX. ubi de Claudio agit his verbis: *Quoniam vero Urbs Imaginibus replebatur (licebat enim omnibus, qui vellent, pictura, ære, lapideque effigiem suam publicare) interdixit ne quis in posterum privatus, injussu Senatus hoc ageret*. Ἐπεὶ δή τε ἡ πόλις εἰκόνων ἐπλήρωντο (ἐξῆν γὰρ ἀνέδην τοῖς βουλομένοις ἐν γραφῇ καὶ ἐν χαλκῷ λίθῳ τε δημοσιεύεσθαι) τάς τε πλείους αὐτῶν ἑτέρωσέ ποι μετέθηκε, καὶ εἰς τὸ ἔπειτα ἀπηγόρευσε, μηδενὶ ἰδιώτῃ ᾧ ἂν μὴ ἡ βουλὴ ἐπιτρέψῃ, τοῦτο, ποιεῖν ἐξεῖναι. Statuas igitur & Imagines ponere, idem erat atque effigiem alicujus Sculptura & Pictura publicare, quod hisce ipsismet verbis ait Cicero de Oratore: *Tabulas & Signa propalam collocare*. Porro modus ille dicendi receptissimus erat apud veteres Scriptores, sexcentisque in eorumdem testimoniis prostat. Svetonius de Tiberio in ejus Vita Cap. 13. *Contemptior in dies & invisior: adeo ut Imagines ejus & Statuas Nemausenses subverterint*. Idem in Vita Othonis: *Certe & Imagines Statuasque ejus reponi passus est*. Idem de Tito Flavio Vespasiano, Cap. 3. *Tribunus Militum & in Germania, & in Britannia meruit, summa industriæ, nec minore modestiæ fama: sicut apparet Statuarum & Imaginum multitudine, ac titulis per utramque Provinciam*. Justinus quoque Historicus, Libro XXXVIII. *Tunc Populus Alexandrinus Statuas & Imagines ejus detrahit*. Quæ in quem sensum pronunciata & dicta fuerint, discere fas est ex verbis Auctoris Libri de Mortibus Persequutorum, Cap. XLII. scribentis: *Eodemque tempore Senis Maximiani* (Herculei) *Statuæ, Constantini jussu revellebantur, & Imagines ejus, quocumque pictus esset, detrahebantur. Et quia senes ambo* (Diocletianus, & Herculius) *simul plerumque pictis erant, & Imagines simul deponebantur amborum*. Viden ut *Statuas & Imagines*, apud illorum Scriptores temporum, Simulacra significet, & Effigies pictas?

Ut igitur breviore aptoque significandi modo Sculpturas, Picturasque alicujus, sive quacumque ex materia effictas, coloribusque expressas alicujus Imagines, Scriptores olim denotarent, eas omnes ejusdem dixere *Statuas & Imagines*, quum revera modus dicendi nullus se se expe-

expeditior offerat utriusque generis Imaginibus significandis. Quare veterum callentissimus phrasium Jacobus Augustus Thuanus, excidio Statuarum non modo, sed pictarum etiam Tabularum, quæ nostris colebantur in Templis, exprimendo, pro Veterum dicendi more, utitur perpetuo illis verbis. Libro Historiarum III. de mutatione Religionis in Anglia pertractans, scribit: *Nec multo post Henrici proximi Regis de Religione Decreta publico Edicto antiquantur, & Statuæ atque Imagines passim e Templis removentur*. Libro Historiarum IV. de Leone Isaurico: *Is Theodoto Monacho suadente Simulacra & Imagines omnes e Templis sustulerat*. Libro XXX. *Protestantes Cæsarodunum Turonum per vim capiunt, nec furori lascivientium temperari potuit, quin Statuæ & Imagines passim in Templis profligarentur*. Epitome Libri XXXIV. *Protestantium lascivia, per Templa passim dejectis Altaribus, Statuis, & Imaginibus discursantium*. Epitome Libri XL. *Dum cum Fœderatis agunt, undique Statuis & Imaginibus per Templa dejectis & confractis affertur*. Et in Libro illo: *Sed ecce dum in eo est, undique affertur de Templis, Sacellis, Statuis, & Imaginibus passim a furente plebe expilatis, dejectis, confractis .... Statuas atque Imagines deturbant .... Imagines ac Simulacra disturbata aut asportata*. Libro LIII. *Item decernitur ut Statuæ & Imagines Colinii ubique concerpantur & aboleantur*. Ut innumera similia loca omittamus. Quod igitur vox *Imago* per se Statuam & Simulacrum denotare possit; quodque vox *Imago* usurpata aliquando probatis a Scriptoribus etiam fuerit Signis Deorum exprimendis, & suapte natura, ambigua ipsa esse videatur: quum tamen vocem illam ita veteres efferunt Scriptores, ut cum Statuis illam conferant, *Statuasque & Imagines* alicujus cultas fuisse adserunt, pictas ad Tabulas posteriorem vocem esse referendam evincunt quæ hucusque retulimus testimonia & exempla. Quare quum Latini Patres se *Statuas & Imagines* adorare nolle testabantur; aut testabantur, Dæmonas sub *Statuis & Imaginibus* delituisse; Ethnicos in *Statuis & Imaginibus* Majores coluisse suos; quicquid stultissime homines admirati fuerant *Simulacris & Imaginibus* consecrasse; nemini fas esse Christiano *Statuas & Imagines* Imperatorum adorare; quumque Ethnici Scriptores frequentissime ajunt cultas hujus vel illius Numinis, aut Deorum *Imagines & Statuas* fuisse, uti hoc ad Simulacra, ita verbum illud ad Picturas referunt; quare summo jure inferimus, pictarum cultum Tabularum evincere allegata a nobis testimonia.

Argumentum alterum adversus cultum Tabularum apud Ethnicos pictarum, ex Consecrationis ritu peti posset. Ut enim nos ipsi in Opusculo *de Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione*, *Cap. II.* ostendimus, inconspicuam imaginabantur Ethnici in Simulacris suorum Numinum præsentiam, quam in Tabulis profecto

pictis

pictis haud facile potuissent præconcipere. Revera de Statuis, deque Signis modo & Simulacris id adserunt sive Ethnici Scriptores, sive eorum hostes, Christiani Patres. Arnobius, Libro adversus Gentes IV. ita ipsos loquentes inducit: *Neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias, quibus Signa consiunt, eas esse per se Deos, & religiosa decernimus Numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos Dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare Simulacris.* Eadem loquitur ratione Minucius Felix in Octavio. *Quis ergo dubitat*, inquiebat, *horum Imagines consecratas Vulgus orare & publice colere, dum opinio & mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore perstringitur, argenti nitore & candore eboris hebetatur? Quod si animum quis inducat tormentis quibus, & quibus machinis Simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiam, ab Artifice, ut Deum faceret, illusam. Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, ruminatur; & Deus æreus, vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum, Ægyptio Regi conflatur, tunditur malleis & incudibus figuratur: & lapidibus cæditur, scalpitur, & ab impurato homine levigatur: nec sentit suæ nativitatis injuriam, ita ut nec postea de vestra veneratione culturam; nisi forte nondum Deus saxum est, vel lignum, vel argentum. Quando igitur his* (Deus) *nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur, nondum Deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur; tum postremo Deus est, cum homo voluit, & dedicavit.* Scilicet, ut in Declamatione sua ajebat etiam Quintilianus: *Hæc, priusquam Dedicationis accipiant summam Religionem, opera sunt tantum; Dedicatio est illa, quæ Deum inducit, quæ sede destinata locat.* Opinionem vero illam fovere Philosophi etiam nonnulli videbantur, ut ex Apulejo patet, in Dialogo, cui titulum fecit *Asclepius*. Ex quibus sane sola Simulacra divinis honoribus fuisse culta videretur consequi, quum, Consecrationis ejusmodi caussa, sola Signa, Simulacra, & Statuæ præsentiam Numinum præberent, animoque aut virtutes Deorum intra se continere sola potuisse Ethnici præconciperent.

Jam vero, ut ut superstitiosores Ethnici fuissent, haud facile tamen adeo significare rudiori populo Sacrorum Reges valuissent, Dæmonum spiritus in pictis contineri Tabulis, easque Consecrationis alicujus ope ingredi illos solitos fuisse; quare ceu Numine vacuas, a Populis inde religiose cultas fuisse par est ut dubitemus. Accedebat similitudo illa Statuarum humanæ, sive Divinæ, ut Ethnici perperam imaginabantur, formæ, quæ vitam veluti, aut vivere pene in Statuis Deos innuebant; idcirco Sallustius Philosophus, *Libro de Deo, & Mundo, Cap. XV.* Statuas vitam Deorum exprimere dicebat; hæcque etiam caussarum una est, cur tanto recentiores flagrent Græci adversus Sta-

tuas

tuas Latinorum odio, rationem videlicet Idoli ſitam eſſe ſtatuentes in ſimilitudine illa, quam Divorum Signa & Simulacra veluti cum figura habent & forma Viri & Mulieris, ceu, Ethnicorum inſtar, vivere ita Divos imaginari ſibi noſtri quoque pergerent, aut quid in illis Divinum præconcipere Vulgus, indulgentius quam par eſt, Præſules permitterent; aut ipſe demum Populus illa ex ſimilitudine in errorem raperetur.

Huic Objecto reſpondere æque facile arbitramur. Quod enim ad Conſecrationem adtinet Simulacrorum, tametſi ejus vi nonnulli Numina in Statuas ingredi exiſtimarent, haud perinde inferri debet tamen, aut pictas Imagines non potuiſſe conſecrari, aut, pro Ethnicorum opinione, nullam in eas Deorum virtutem potuiſſe ingredi, aut denique cultas non fuiſſe, quod Numina repræſentarent tantum, non vero continerent. Primum enim animadvertendum reor, Ethnicorum quidem aliquos, aliquo tempore, & loco, præſentiam Numinum in Statuis crediddiſſe; ſecus autem alios, qui Simulacra adorantes, ob id modo quod Deos Statuæ repræſentarent, aut quod Statuis Numina præſidere crederentur, nil de præſentia allegata cogitabant. Revera ſcribebat Auguſtinus, Enarratione in Pſalmum XCVI. *Sed exiſtit neſcio quis Diſputator, qui doctus ſibi videbatur, & ait. Non ego illum lapidem colo, nec illud Simulacrum, quod eſt ſine ſenſu: non enim Propheta veſter potuit noſſe, quia oculos habent, & non vident, & ego neſcio quia illud Simulacrum nec animam habet, nec videt oculis, nec audit auribus. Non ego illud colo; ſed adoro quod non video. Quis eſt ipſe? Numen quoddam, inquit, inviſibile, quod præſidet illi Simulacro*. Et Enarratione in Pſalmum CXIII. idem Sanctus Pater: *Videntur autem mihi purgatioris eſſe Religionis, qui dicunt: Nec Simulacrum, nec Dæmonium colo; ſed effigiem corporalem ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo*. Erat hæc vero plurimorum ſententia Ethnicorum. Num igitur pictis Deorum Tabulis Numina inconſpicuo præſidere modo præconcipi ab Ethnicis non poterant? Num pictæ Tabulæ ſignum videri non poterant rei quam colere volebant?

Salluſtius ſane Philoſophus, non dicit, loco allegato, Deos in Simulacris vivere, ſed *Templa quidem Cœlum, aras Terram imitari, Statuas vitam* (in ipſis Diis) *exprimere, ideoque viventibus ſimiles repræſentari, characteres denotare cæleſtes Poteſtates &c.* διὸ οἱ μὲν ναοὶ τὸν οὐρανὸν, οἱ δὲ βωμοὶ μιμοῦνται τὴν γῆν, τὰ δὲ ἀγάλματα τὴν ζωὴν καὶ διὰ τοῦτο ζώοις ἀπείκασται. Quæ omnia myſticam exprimunt ſignificationem. Quin & frequens loquendi modus Ethnicorum, eos præſentiam Deorum illam in Simulacris non ſemper crediddiſſe oſtendit. Juſtinus, Libro Hiſtoriarum XXIV. dum Brennus ſuis cum copiis Delphicum occupare & exſpoliare Templum contenderet, *In hoc partium*

certamine, scribit, *repente universorum Templorum Antistites, simul & ipsi Vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pavidi vecordesque, in primam pugnantium aciem procurrunt: advenisse Deum clamant, eumque se vidisse desilientem in Templum per culminis aperta fastigia. Dum omnes opem Dei suppliciter implorant juvenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesque duas armatas Virgines, ex propinquis Dianæ Minervæque Ædibus occurrisse; nec oculis tantum hæc se perspexisse, audisse etiam stridorem arcus, & strepitum armorum. Proinde ne cunctarentur, Diis antesignanis, hostem cædere, & victoriæ Deorum socios se adjungere summis obsecrationibus monebant*. Si Deos porro in Statuis delitescere arbitrati Populi illi essent, non dixissent Antistites, vidisse se Deum per aperta culminis fastigia desilientem in Templum. Accedit non unum fuisse Idololatriæ genus, in eoque solum Ethnicos convenisse, ut Numen summum & unicum non colerent: ceterum diversas fuisse diversorum Sacrorum ceremonias, diversos ritus, proindeque etiam & opiniones de Diis, & eorum Imagines diversas. Apulejus de Deo Socratis, *Nonnulli, sunt*, inquiebat, *ex hoc Divorum numero, qui nocturnis, vel diurnis, promptis, vel occultis, lætioribus, vel tristioribus, hostiis, vel ceremoniis, vel ritibus gaudent; uti Ægyptia Minerva fere plangoribus, Græca plerumque choreis, Barbara autem strepitu Cymbalistarum, & Tympanistarum, & Choraularum. Itidem pro regionibus, in Sacris differunt longe varietate pomparum agmina, ministrorum silentia, Sacerdotum officia, Sacrificiorum obsequia. Item Deorum Effigies, & eximiæ Templorum Religiones, hostiarum cruores, & colores, quæ omnia pro cujusque more solemnia & rata sunt*. Erraret igitur plurimum, qui unum modo apud Ethnicos fuisse præconciperet Consecrationis genus. C. Plinius Secundus, Libro Epistolarum X. ad Trajanum scribens, monebat, *alium hic* (in Bithynia) *alium apud nos* (Romanos) *esse morem Dedicationis*. Et Vandalæus, in Dissertatione de Consecrationibus Ethnicis, *Videri potest*, scribebat, *non ubique, seu in omnibus Consecrationibus, unas easdemque ceremonias fuisse observatas. Namque in unius ejusdemque Dei, alterius vero cognominis, Consecratione, alii longe consecrandi ritus observabantur*. Jamblichus imo, de Mysteriis agens Ægyptiorum, & totus in præsentia Deorum illa in Signis & Simulacris oppugnanda, ostensurus quanam ratione eadem consecrarentur, quoddam edocet Consecrationis genus, quod Picturis æque ac Simulacris aptari posset. *Nempe*, scribit, *irradiant Dii exstrinsecus omnia. Nec procul mendices exempla. Irradiant Dii, sicut Sol extrinsecus Universum radiis illustrat. Quemadmodum namque lux ipsa ambit ea cuncta, quibus affulget, non aliter divina vis continet exterius quicquid ejus particeps fit. Et veluti adest aeri lux, nec tamen eidem admiscetur; arguit hoc, quod nihil in eo relinquitur luminis, quum*

primum

primum prorsus lux ipsa secesserit, nihilominus remanente calore, postquam abierit Calefaciens: ita propemodum Divinus fulgor illuminat puritate servata, absque miscella &c. Consecrationis autem ejusmodi genus quod, aliquorum Gentilium opinione, in irradiatione situm erat, cur non poterat pictis quoque Deorum Tabulis convenire? Videntur immo Ethnici suorum non modo Signa Deûm, sed & pictas etiam consecrasse revera Tabulas. Historiam siquidem legenti Iconoclasticam, aut polemica Orthodoxorum veterum de Imaginibus Sacris Scripta, infinitis legere datum erit locis, Iconoclastas eo etiam nomine, eaque de caussa, Orthodoxos Idololatriæ postulasse, quod, Ethnicorum instar, Imagines sacras *Deificarent*, consecratione scilicet aliqua eas Objectum cultus religiosi efficerent. Id autem Nostros perpetuo negasse constat. *Absit a nobis*, inquiebat Adrianus Pontifex in Epistola ad Constantinum & Irenem, quæ Actione prostat II. Synodi Nicænæ, *Absit a nobis, ut ipsas Imagines, sicut quidam garriunt, θεοποιήσωμεν deificemus*. Ita & Nicæni Patres, ita Johannes Damascenus, ita ceteri pietatis Orthodoxæ Vindices. Erat autem frequentissima vox Θεοποιεῖν apud Ethnicos Scriptores, aptaque rebus illis rite denotandis, quæ prophanæ antea quum essent, fiebant sacræ, & publice colendæ, quod sexcentis ostendere exemplis esset pervium. Jam vero de solis pictis tabulis sola esse videbatur, aut præcipua saltem, Iconoclastas inter & nostros Quæstio, quum solæ erectæ fuissent in Ecclesiis apud Orientales Tabulæ, non Statuæ. Etsi vero mentirentur Adversarii, dum pictas Tabulas fabularentur a Catholicis *deificatas*, nil simile tamen umquam obtendissent, nisi nossent, pro Ethnicorum ritibus easdem etiam consecrari solitas fuisse.

Ceterum, apud Ethnicos, generaliter ut ita dixerim, loquendo, consecrabantur Deorum Imagines, dum *erigebantur*, dum *orabantur*, ut inquit allegato loco Minucius Felix; dum, ut inquit Quintilianus, *sede destinata locabantur*; Itaque & Martialis Lib. VIII. Ep. 28.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.

Quo cum facit Statius, Libro Thebaidos IX.

Nota per Arcadias felici robore Sylvas
Quercus erat, Triviæ, quam desecraverat ipsa
Electam turba nemorum, Numenque colendo
Fecerat.

Quod si statuimus Ethnicos Signa Deorum modo & Simulacra coluisse, quod Consecrationis ope in Statuis Deos adesse præconciperent, numquam vero in pictis Tabulis, hac una de caussa egregie strenueque vindicata censeri debent sacra Latinorum Signa, & Simulacra adversus Græcos recentiores; qui quum haud ignorare sane pos-

 sint,

sint, Latinos neque suorum consecrare Statuas Sanctorum, neque Divorum præsentiam aut virtutem ullam in Statuis habere præconceptam, consequens inde esse debet, eorum esse cultum ab Ethnico cultu diversissimum; quum idem modo apud nos Statuæ efficiant, eodemque Divos repræsentent modo, quo eas repræsentant pictæ Tabulæ, sive apud Græcos, sive apud nos etiam cultæ.

Objectum tertium ex iis desumi posset, quæ Vitruvius habet, Libro de Architectura IV. Cap. V. ubi de Ædibus Deorum constituendis agit hoc pacto: *Ædes autem sacræ Deorum immortalium, ad regiones, quas spectare debent, sic erunt constituendæ, uti si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit potestas Ædis, signum quod erit in cella collocatum spectet ad vespertinam cæli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cæli Orientis, & Simulacrum quod erit in Æde. Et ita vota suscipientes contueantur Ædem, & Orientem cæli, ipsaque Simulacra videantur exorientia contueri supplicantes & sacrificantes: quod aras omnes Deorum necesse esse videatur ad Orientem spectare.* Capite autem ejusdem Libri VIII. de aris Deorum ordinandis agens idem Vitruvius, scribit: *Aræ spectent ad Orientem, & semper inferiores sint collocatæ quam Simulacra, quæ fuerint in Æde, uti suscipientes Divinitatem qui supplicant & sacrificant, disparibus altitudinibus ad sui cujusque Dei decorem componantur.* En, inquient, utrobique de Signis & Simulacris Deorum verba facere Vitruvium, non de pictis eorum tabulis, quæ vim etiam ex iis sumere videntur, quæ Johannes Potterus habet, *Libro Archæologiæ Græcæ II. Cap. II.* hunc in modum scribens: *Locus Simulacris destinatus erat in medio Templi, ubi stylobatæ supra aram se se extollentes stabant, cancellisque circumdabantur, quare ipse locus appellabatar σηκός.* Imagines autem fuisse ita collocatas testatur Virgilius quando canit:

Tum foribus Divæ media testudine Templi:

Ubi per fores Divæ intelligi debet introitus τοῦ σηκοῦ. Poetarum alter de Templo ædificando verba faciens ait:

In medio mihi Cæsar erit.

Vocabulum σηκός in sua maxime propria significatione accipitur pro *caula*; quia autem Deorum imagines, juxta vetustissimum morem, in medio Templo statuebantur, & undique cancellis obsepiebantur, ille locus ob caulæ similitudinem, quam præseferebat, appellabatur σηκός, qui procedente tempore denotavit Templum ipsum, parte pro toto accepta. Quibus ex omnibus Eruditulus quis inferre festive pergeret, præcipui saltem Dei imaginem quocumque in Templo, Statuam fuisse & Simulacrum, illudque solum divinis honoribus consecratum & cultum.

Hic etiam tamen nodus solvitur facillime. Num enim arbitreris, omnia apud Ethnicos ad Vitruvii Leges fuisse perpetrata? Artificum de

de Legibus idem mihi videtur ſtatuendum ac de aliquorum Decretis Legumlatorum. Oppoſita ſcilicet ſemper fieri & evenire. Plato, Libro de Legibus XII. Sacrorum ſumptuum modum ſuam inducturus in Rempublicam, *Caſtos*, inquiebat, *& moderatos Viros caſta & moderata dona Diis dare conſentaneum eſt. Terra quidem & Veſta omnibus Diis ſacra ſedes eſt. Nemo igitur ſecundo quodam modo Templa Diis dedicato: opes amovento; aurum enim & argentum in ceteris rebus civilibus inſidioſa res eſt, at in Sacris maxime. Ebur autem, quum olim ab animo deſtitutum fuerit corpus, ad Deorum donaria minime eſt accomodatum. Æs atque ferrum, bellica ſunt inſtrumenta. Ex ligno igitur uno, vel uno quovis lapide, integræ Deorum imagines in Templis communibus ſtatuantur. Texturæ quoque opus offeratur non majus quam quod ab una muliere intra unius menſis ſpatium confici poſſit. Colores albi tam in aliis, quam in textili artificio Diis ſunt accommodati, tincturæ vero non ad alios uſus quam ad bellica ornamenta adhibeantur. Diviniſſima autem ſunt dona, Volucres & Effigies picturatæ, quas ſingulas uno die pictor unus poteſt depingere; cetera quoque omnia his ſimilia ſunto.* Θεοῖσι δὲ ἀναθήματα χρεὼν ἔμμετρα τὼ μέτριον ἄνδρα ἀνατιθέντα δωρεῖσθαι· γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν· μηδεὶς οὖν δευτέρως ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς. χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἰδίᾳ τε καὶ ἐν ἱεροῖς ἐστὶν ἐπίφθονον κτῆμα. ἐλέφας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος, οὐκ εὐχερὲς ἀνάθημα· σίδηρος δὲ καὶ χαλκός, πολέμων ὄργανα. ξύλου δὲ μονόξυλον ὅ, τι ἂν ἐθέλῃ τὶς ἀνατιθέτω, καὶ λίθου ὡσαύτως, πρὸς τὰ κοινὰ ἱερά. ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργον γυναικὸς μιᾶς ἐμμήνου. χρώματα δὲ λευκά, πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι, καὶ ἐν ὑφῇ· βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν, ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα. θειότατα δὲ δῶρα, ὄρνιθές τε καὶ ἀγάλματα, ὅσαπερ ἂν ἐν μιᾷ ζωγράφος ἡμέρᾳ εἷς ἀποτελῇ. καὶ τἄλλα ἔστω κατὰ τὰ τοιαῦτα ἀναθήματα μεμιμημένα. Eandem ſanxit Legem & Cicero, Platonem imitatus, ubi Libro de Legibus ſcribit: *Formæ ab uno Pictore uno abſolutæ die*. Quorum oppoſitum ab omnibus tamen Ethnicis peragebatur. Vitruvius jam vero de Architectura loquebatur Templorum Græcorum & Romanorum, quam tamen non ubique receptam & uſu habitam ex una intelligere quisque poteſt Calmetii *Diſſertatione de Templis Veterum*, in qua diverſiſſimæ ſtructuræ Templa exhibentur. Animadverto immo, apud Plutarchum, eorumdem Deorum, eadem in Ægypto diverſæ fuiſſe Architecturæ Templa. Scribit enim: Ἐπ' ἄλλα τὴν διάνοιαν, ὡς ὑποδηλοῦσιν αἵ τε θυσίαι τὸ πένθιμον ἔχουσαι καὶ σκυθρωπὸν ἐμφαινόμενον αἵ τε ναῶν διαθέσεις πῆ μὲν ἀνειμένων πτερὰ καὶ δρόμους ὑπαιθρίους καὶ καθαρούς, πῆ δὲ κρυπτὰ καὶ σκοτία κατὰ γῆς ἐχόντων στολιστήρια Θηβαίοις ἐοικότα καὶ σηκοῖς. *Declarant hoc* (quæ ſcilicet de Oſiride fabulabantur) *ſacrificia lugubrem & triſtem ſpeciem præſeferentia; tum Templorum diſpoſitiones, aliquando in pinnas, & ſta-*

 dia

dia desinentium sub dio sita ac pura: aliquando tenebricosa & operta infra terram habentium Sacraria, cellulis similia & adytis. Quod enim ex Pottero additur, de loco Simulacris destinato in medio Templi, hoc esse quidem concedimus pro aliquorum ritu Ethnicorum, non vero omnium; quum certum sit, ut jam diximus, & ostendimus, variam fuisse Idololatriam, proque regionum diversitate, pro diversitate temporum, diversoque Sacerdotum arbitrio, variis moribus, variis ritibus, variis Numinum Imaginibus, variis usam fuisse Templorum formis. Scimus etiam plures in Templis fuisse cellas diversis Diis consecratas, ubi diversorum etiam Imagines Deorum. Tradit quidem *in Vita Marcelli* Plutarchus, quod quum ex Siculorum manubiis Gloriæ & Virtuti ædificatum Templum dedicare ille vellet, inhibitus fuit a Pontificibus, quod negarent unicam duobus Diis haberi Ædem posse. Verum, proprium id videtur fuisse Romanorum tantum, ritumque in Scitis quidem Pontificum contentum, vix tamen usu, præcipue apud Orientales Populos, receptum. Lucianus certe Templum Syriæ Deæ celeberrimum describens; *In eo autem sunt*, inquiebat, *& pretiosa opera, & antiqua donaria, & mirabilia multa, Deorumque Statuæ, Diique ipsi admodum conspicui. Nam Statuæ sudant, moventur, & Oracula edunt, & clauso Templo clamor in Æde sæpenumero est coortus, quem audivere multi*. ἔνι δὲ καὶ ἔργα ἐν αὐτῷ πολιτελέα, καὶ ἀρχαῖα ἀναθήματα, καὶ πολλὰ θαύματα, καὶ ξόανα Θεοπρεπέα. καὶ Θεοὶ δὲ κάρτα αὐτοῖσι ἐμφανέες. ἱδρώει γὰρ δὴ ὦν παρὰ σφισι τὰ ξόανα, καὶ κινέεται, καὶ χρησμηγορέει. καὶ βοὴ δὲ πολλάκις ἐγένετο ἐν τῷ νηῷ κλεισθέντος τοῦ ἱροῦ. καὶ πολλοὶ ἤκουσαν. Sed & *Simulacri* nomine pictas Imagines a Vitruvio significatas vidimus, & Aristidem querentem *de horrendis Picturis, quæ suo adhuc tempore mediis in Templis conspiciobantur*; & Aristoteles obscœnis Deorum Picturis, a solis Senibus esse sacrificandum statuens, satis ostendit fuisse easdem in loco cultui destinato sitas.

Unum pene me fugerat argumentum, quod derivare quis fortasse posset ex auctoritate Divi Ambrosii, Lib. VI. Hexaemer. scribentis: *Sola ære fusa Principum Capita, & ductos vultus de ære vel marmore adorari*. Evanescet tamen statim difficultas ex Enarratione verborum horum Cl. Jacobi Cujacii, *Tomo Operum III. Observ. Lib. XXI. Cap. IV. ad L. XLIV. de Relig. & sumpt. fun.* Omnis Imago, inquit ille, cujuscumque materiæ, plerumque Caput tantum & humeros repræsentabat sine reliquo corpore; uti in Numismatis, quod præter Plinium & alios Auctores, etiam Divum Ambrosium indicare ipse cogitat allegatis verbis. Nec abs re caput tantum & vultus exprimitur, subjicit, quoniam, ut Paulus ait, inde cognoscimur; hanc etenim Aristoteles quoque in Problematibus adducit caussam: *Cur vultus & oris*

Ima-

Imagines fiunt? Quod vultus ſit index animi, quodque inde cognoſcimur. διὰ τὶ προσώπȣ τὰς εἰκόνας ποιȣ͂νται; πότερον ὅτι δηλοῖ ποῖοι τινες, ἢ ὅτι μάλιστα γινώσκεται. Tomo vero V. in Librum III. Quæſtionum Pauli, in medium adfert Cujacius Plinii locum, Libro XXXVII. Cap. 2. de imagine Cnei Pompeii confecta ex margaritis, quas vocat Opes Orientis, hoc pacto: *Jam tum illud Caput Orientis opibus, ſine reliquo corpore oſtentatum*. Juvenalis Satyra VIII. in eundem ſenſum:

. . . . At tu
Nil niſi Cecropides, truncoque ſimillimus Hermæ;
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quam quod
Illi marmoreum caput eſt, tua vivit Imago.

Paulum inde Juriſconſultum fuſe explicat Cujacius, qui locum illum eſſe religioſum ſtatuebat, ubi quod principale eſt conditum reperitur; Caput videlicet, cujus Imago fit, indeque cognoſcimur, quare jure eruamus illis Ambroſium verbis non indicare voluiſſe ſolas æreas marmoreaſque Imagines fuiſſe adoratas (quid enim abſurdius? inferri deberet ſcilicet, aureas, argenteas, ligneaſque Numinum Imagines haud fuiſſe cultas) ſed innuere & docere voluiſſe, ob Caput præcipue, non vero ob reliqua corporis membra, Imagines cujuſcumque generis fuiſſe adoratas; quod pictis cur non etiam convenerit, non video. Quid pergimus argumentari tamen, quum idonea produci in medium poſſint ejusmodi cultui oſtendendo teſtimonia?

C A P U T VIII.

Recenſentur plurimæ Imagines & Tabulæ Deorum pictæ, ab Ethnicis cultu publico donatæ.

QUONIAM vero rem confici vix melius poſſe arbitramur, quam indicatis enumeratisque Imaginibus & Tabulis Deorum pictis, quas publico proſequuti cultu Ethnici dicuntur, age memoratas repetamus breviter, aliaſque adjiciamus, quibus conſtet, haud minus quam Deorum Statuas, & Simulacra, & Signa, fuiſſe pictas Numinum Imagines divinis honoribus publice donatas. Vidimus jam, culta fuiſſe ab Ægyptiis Hieroglyphica, ſive *ipſos ſub pictis animalium figuris Deos*, Cap. II. Vidimus, *univerſa Idola domus Iſrael depicta in circuitu per totum, & ſeptuaginta Viros de Senioribus domus Iſrael ſtantes in medio eorum ſtantium ante Picturas, & unumquemque habentem thuribulum in manu ſua*. Vidimus *Viros depictos in pariete, Imagines ſcilicet Chaldæorum expreſſas coloribus, quas Judæi & Iſraelitæ divinis honoribus proſequebantur*, Cap. III. Memoravimus *Picturas cultas*

nudæ

nudæ Veneris, Cap. IV. Memoravimus *Solem in linteo depictum, a Persis adoratum*, Cap. V. Memoravimus *Sacrificia Picturis Deorum inbonestis facta, quorumdam scilicet pictis Deorum Imaginibus, quibus lasciviam mos tribuebat*, Cap. VI. *Cultas Æsculapii cujusdam Picturas* retulimus ex Luciano, Cap. VI. Retulimus & *pictam Bacchi imaginem in pompis sacris Gentilium circumgestatam*. Cap. VI. Nunc ad singulares aliquas Imagines oportet accedamus, quas utique negabit nemo fuisse publico cultui propositas.

Plutarchus in sua de EIS EI inscripto foribus Templi Delphici Commentatione; postquam Notam illam Apollini convenire, ostendere per ambages studuisset, ipsumque unum & omnia simul esse ex quinarii etiam vi & præstantia numeri, suo modo, collegisset, demum subjicit: *Quod si quis interroget, quid hæc ad Apollinem attineant? respondebimus, non ad hunc modo, sed & ad Bacchum, qui non minori jure quam Apollo, partem sibi vindicat Delphorum, pertinere*. Τῷ μὲν διθυραμβικὰ μέλη παθῶν μεστὰ καὶ μεταβολῆς, πλάνην τινὰ ϗ διαφόρησιν ἐχούσης — τῷ δὲ παιᾶνα τεταγμένην, ϗ σώφρονα μοῦσαν, ἀγήρω τε τοῦτον ἀεὶ ϗ νέων, ἐκεῖνον δὲ πολυειδῆ ϗ πολύμορφον ἐν γραφαῖς ϗ πλάσμασι δημιουργοῦσι. κ. τ. λ. *Canunt enim Delphis Baccho dithyrambos, plenaque motuum animi & mutationum carmina, cum vagis erroribus, & circumcursitatione conjunctarum. Apollini autem Pæana canunt, carmenque modestæ Camœnæ, atque hunc semper juvenem, & senectutis exortem, illum multiplici forma variaque specie pingunt, & fingunt; Apollinique tribuentes æqualitatem, ordinem, & sinceritatem serio constantem, Baccho admixtos jocos, petulantiam, furorem, & inæqualitatem adserunt; quare proportionem in cultu observantes, reliquis anni partibus Pæane ad sacrificia utentes, ineunte hyeme dithyrambum excitant, & per tres menses Bacchum loco Apollinis invocant*. Qui Delphum itaque incolebant pictas Apollinis & Bacchi imagines religiose venerati, Pæana alteri, alteri dithyrambos concinebant, sacrificia Imaginibus illis offerebant, illasque ante Imagines concipiebant vota.

Pausanias, qui Græciam tamen, ut ipse apertissime, *in Corinthiacis*, sive Libro II. fatetur una & queritur, non lustravit, nisi jam bellis lacessitam, vastatam & oppressam, quare celebriorum Artificum opera tum temporis etiam desiderarentur, innumeras adhuc tamen recenset Deorum Gentilium picturas, quarum eas solum exponemus, quæ cultu donatæ proculdubio fuere. Libro igitur Descriptionis Græciæ I. ubi quæ Athenis digna adhuc erant quæ viserentur, describit, picturis egregiis quibusdam, quæ in Porticu reliquæ erant, enumeratis, *atque hæc omnia*, subjicit, *pinxit Atheniensibus Euphranor, qui proximo in Templo Apollinem pinxit cognomine Patrium*. Ταύτας τὰς γραφὰς Εὐφράνωρ ἔγραψεν Ἀθηναίοις, ϗ πλησίον ἐποίησεν ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα

λωνα πατρῷον ἐπίκλησιν. Patrium autem Apollinem ejusque erectam in Templo Imaginem pictam quis imaginetur Athenienses non fuisse veneratos? Idem Pausanias, Libro Descriptionis Græciæ VIII. *Tegeæ in Templo*, scribit, *erat Lectulus Minervæ sacer, ipsiusque Deæ Effigies pictura & coloribus in Lectulo expressa*. κλίνη τε ἱερὰ τῆς Ἀθηνᾶς, καὶ αὐτῆς εἰκὼν γραφῇ μεμιμημένη. Sic enim Dii Deæque repræsentabantur; erat siquidem κλίνη, sive Lectulus, sedes Deorum propria, uti e Satyra patet Juliani Cæsaris in ceteros Imperatores; in illo siquidem quod Augustus fingit Deorum Concilio, *parati*, inquit, *erant lectuli, Diis quidem in suprema Cæli regione*. Κλῖναι δὲ ἐτύγχανον παρασκευασμέναι, τοῖς μὲν θεοῖς ἄνω. ---- *Igitur quatuor sternuntur Lectuli &c.* Κλῖναι μὲν οὖν ἔκειντο τέτταρες ---- *Ceteris quoque Diis, pro sua cuique dignatione paratæ erant sedes*. παρεσκεύαστο δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, ἑκάστῳ θρόνος ἢ κλίνη κατὰ πρεσβείαν. Idem igitur lectulus, & thronus, sive Deorum sedes; quare Minerva veluti sua in Sede Tegææ in Templo depicta colebatur. Denique Pausanias Libro Descriptionis Græciæ IX. Bœoticis agens de rebus, fuse de cultu loquitur Gratiarum, & demum ita: *Eteoclem sane Bœoti primum omnium Gratiis humana fecisse hostia, & tres quidem religiose sanxisse, norunt omnes. Pergameni in Attali thalamo, & in eo Templo quod Pythium nuncupant, suas habent & ipsi Gratias, quas pinxit Pythagoras Parius*. Περγαμηνοῖς δὲ ὡσαύτως ἐν τῷ Ἀττάλου θαλάμῳ βασιλέως καὶ αὐταὶ καὶ πρὸς τῷ ὀνομαζομένῳ Πυθίῳ Χάριτες, καὶ ἐνταῦθα εἰσι Πυθαγόρου γράψαντος Παρίου. Pulcherrimam autem pictam Tabulam ab Corinthiis cultam nobis exhibet Athenæus, Libro Deipnosophistarum XIII. his verbis: *Quum Persarum Rex Græciam armis tentasset, Theopompus & Timæus Libro septimo, auctores sunt, Corinthias meretrices in Veneris Templum convenisse, & pro totius Græciæ salute Deam exorasse. Itaque Simonides, quum pictam Deæ Tabulam adhuc exstantem, Corinthii erigerent, & consecrarent, in qua & meretrices depictæ erant, quæ supplicationibus Deam propitiaverant, & in ejus Fano Sacris interesse consueverant, adscripsit hoc Epigramma &c.* Καὶ ὅτε ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν στρατείαν ἦγεν ὁ Πέρσης, ὡς καὶ Θεόπομπος ἱστορεῖ, καὶ Τίμαιος ἐν τῇ ἑβδόμῃ αἱ Κορίνθιαι ἑταῖραι ηὔξαντο ὑπὲρ τῆς Ἀφροδίτης ἐλθοῦσαι νεών. διὸ καὶ Σιμωνίδης ἀναθέντων τῶν Κορινθίων πίνακα τῇ Θεῷ τὸν ἔτι καὶ νῦν διαμένοντα καὶ τὰς ἑταίρας ἰδίᾳ γραψάντων τὰς τότε ποιησαμένας τὴν ἱκετείαν, καὶ ὕστερον παρούσας, συνέθηκε τόδε τὸ ἐπίγραμμα. Historiatam, ita ut loquar, vides Tabulam, depictis cum Dea Mulieribus eam adorantibus, quod in cultis apud nos etiam pictis Tabulis frequens reperitur.

An inter cultas ab Ethnicis Picturas enumerare possim quam statim refero, ignoro. Plinius Parrhasii celebres picturas recensens, Libro

bro Historiæ Naturalis XXXV. Cap. 10. scribit: *Pinxit Parrhasius & Dæmon Atheniensium, argumento quoque ingenioso: volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem, eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque, & omnia pariter ostendere*. Multa hac in descriptione & Romano Plinio, & Pictori condonanda. Ceterum, illud certum est, agi heic de Tutelari Atheniensium Genio, quem utique invocare, adorare & colere consueverant Gentiles; quorum opinione, ut Symmachus, apud Prudentium Libro adversus Præfectum illum II.

- - - - Sicut variæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ, sic Urbibus adfert
Hora diesque suum, quum primum mœnia surgunt,
Aut fatum, aut Genium, cujus moderamine regnent.

De hujusmodi Dæmonum, sive Geniorum, qui Urbibus etiam præsidebant, natura, virtute & cultu, pro Ethnicorum opinione, & moribus, fuse agit Plutarchus, Libro *de Oraculorum defectu*. Ut ut tamen ea de re fuerit, certum tamen est, Tabulam, in qua pictus erat Bacchus, Corinthios olim adorasse, Cererisque in Templo inde suspensam, & a Romanis cultam fuisse, quod testatur Strabo, Libro Geographiæ XVIII. Inter spolia siquidem, quæ Corintho capta Romani abstulerant, enumerat *Bacchum ab Aristide pictum, quem*, inquit, *Romæ in Templo Cereris consecratum inspexi, opus pulcherrimum*. Ἀριστείδου γραφὴν τοῦ Διονύσου ..... τὸν δὲ Διόνυσον ἀνακείμενον ἐν τῷ Δημητρείῳ τῷ ἐν Ῥώμῃ κάλλιστον ἔργον εὑρῶμεν, Notissimum jam vero satis arbitror, inter Victorum præsertim Romanorum spolia, res omnes enumeratas fuisse sacras, Simulacra præsertim, & Deorum Signa, pictasque, quæ in Templis colebantur, Tabulas, de quibus satis egimus in nostro, *de Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium apud Romanos Evocatione, Libro singulari*; in quo quum evictum sit, Quirites ita Hostium Deos, extremam ante hostilium Urbium Oppugnationem evocasse, ut novas eos evocarent in sedes, ampliora Romæ Templa, sollemnioresque pollicerentur eisdem aras; factum inde est illorum ut Imagines sive sculptas, sive pictas, Romanis inde in Templis erectas & collocatas revera adorarent.

Celeberrima jam vero fuit picta Veneris Tabula publice Romæ culta; illa nempe, de qua Plinius, Libro Historiæ Naturalis XXXV. Cap. 10. his verbis: *Inter Opera Apellis quæ nobilissima sint, non est facile dictu. Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dedicavit in Delubro Patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur. Hujus inferiorem partem corruptam qui reficeret non potuit inveniri: verum ipsa injuria cessit in gloriam Artificis. Consenuit hæc Tabula carie, aliamque pro ea Nero principatu restituit suo*. Illo autem in Templo erectam & cultui propositam

positam hujusmodi Tabulam fuisse, testatur etiam Strabo, ubi de Promontorio loquitur Coæ Insulæ hoc pacto: *Fuit etiam ibi Venus Anadyomene , e mari scilicet emergens , quæ nunc in Divi Cæsaris Templo consecrata est ab Augusto sui auctorem generis dedicante. Ajunt Cois pro Pictura ea de tributi imperati summa , remissa fuisse C. talenta .* ἦν δὲ καὶ ἡ ἀναδυομένη Ἀφροδίτη, ἣ νῦν ἀνάκειται τῷ θεῷ Καίσαρι ἐν Ῥώμῃ, τοῦ Σεβαστοῦ ἀναθέντος τῷ πατρὶ τὴν ἀρχηγέτιν τοῦ γένους αὐτοῦ. φασὶ δὲ τοῖς Κῴοις ἀντὶ τῆς γραφῆς ἑκατὸν ταλάντων ἄφεσιν γενέσθαι τοῦ προσταχθέντος φόρου. Hanc autem Veneris Tabulam, in Delubro Cæsaris consecratam, divinis honoribus fuisse cultam non dubitamus, duobus præsertim testimoniis inter se collatis, altero nempe Athenæi, Clementis Alexandrini altero, quorum collatione res in aperto collocatur. Scribit in hunc modum siquidem Athenæus, Libro Deipnosophistarum XIII. Cap. 6. *Erat autem Phryne magis pulchra in aliis partibus , quæ non videntur, quamobrem haud facile fuit conspicere nudam ; induebatur enim tunica arcte carnes adstringente, neque publicis utebatur balneis. Frequentissimo autem Eleusiniorum conventu, feriatisque Neptuno diebus, in Græcorum omnium conspectu deponens vestes , & solvens comas, ingressa est mare: adeo ut Venerem e mari emergentem ad hoc etiam exemplum pinxerit Apelles.* Ἦν δὲ ὄντως μᾶλλον, ἡ Φρύνη καλὴ ἐν τοῖς μὴ βλεπομένοις. διόπερ οὐδὲ ῥάδιον ἦν αὐτὴν ἰδεῖν γυμνήν. Ἐχέτραστον γὰρ χιτώνιον ἀμπείχετο· καὶ τοῖς δημοσίοις οὐκ ἐρχῆτο βαλανείοις. Τῇ δὲ τῶν Ἐλευσινίων πανηγύρει καὶ τῇ τῶν Ποσειδωνίων ἐν ὄψει τῶν πανελλήνων πάντων ἀποτιθεμένη θοιμάτια καὶ λύσασα τὰς κόμας, ἐνέβαινε τῇ θαλάττῃ· καὶ ἀπ' αὐτῆς τὴν ἀναδυομένην Ἀφροδίτην ἀνεγράψατο Ἀπελλῆς. Veneris igitur Tabula, quam Augustus consecravit in Templo Patris sui, ipsamet illa erat, e mari emergens, sive Anadyomene a Græcis appellata, & quam ad Phrynes exemplum pinxerat Apelles. Itaque si recolimus relatum jam Cap. IV. Clementis Alexandrini testimonium ex Admonitione ad Gentes, Tabulam illam noverimus fuisse cultam. Ita quippe Sanctus ille Pater: *Quum floreret Phryne meretrix Thespiaca, Pictores omnes Veneris Imagines ad Phrynes pulchritudinem imitatione referebant. Superest, ut nunc ipsemet judices, an adorare velis fœdas meretrices.* Φρύνη δὲ ὅτι νίκα ἦν θεϊ ἑταίρα ἡ Θεσπιακή, οἱ ζωγράφοι πάντες τ' Ἀφροδίτης εἰκόνας πρὸς τὸ κάλλος ἀπεμιμοῦντο Φρύνην· ὑπολείπεται τῆς σῆς κρίσεως τὸ ἔργον επάξαι εἰ βούλει καὶ τὰς ἑταίρας προσκυνεῖν. Ad Tabulam igitur præsertim illam adludebat Alexandrinus Clemens, quam Cæsar Romano erexerat in Templo, quum Pictores utique ceteri exemplar Apellis imitati suas pinxerint Veneres in Templis inde ceteris erectas; quare, non Venerem, sed ejus sub specie, Phrynem Gentiles adorasse Christiani Patres quererentur.

Quoniam vero Clementem Alexandrinum memoravimus, haud pos-

ſum quin heic ejus teſtimonium exſcribam, quo evidentius intelligatur quam frequentes fuerint pictæ Tabulæ ab Ethnicis religioſe cultæ. Scribit ille ſiquidem in Admonitione ad Gentes: ***Ethnici bene multi**, omni pudore depoſito, domi depictos volunt ſuorum turpes Deorum in Venerem pruritus & titillationes. Pictis enim quibusdam tabellis, iisque in alto ſuſpenſis & erectis mentem adhibentes, thalamos ornant impudicitia; ejusmodi intemperantiam exiſtimantes pietatem: & in cubili decumbentes, ipſis in amplexibus Venerem illam nudam reſpiciunt, quæ vincta eſt propter amplexus: & ad Lædam advolantem Avem, qui ob hoc ipſum quod effœminata ſit, probantes Picturam, in pala annuli exprimunt, & conveniente Jovis intemperantiæ ſigillo utuntur. Hæc ſunt mollis & delicatæ vitæ veſtræ exemplaria. Cujusmodi ſunt aliæ quoque veſtræ Imagines? Paniſci quidam, & nudæ puellæ, & ebrii Satyri, & membrorum erectiones, quæ Picturis nudantur, quæque ab ipſa intemperantia arguuntur. Haſce autem totius libidinis & impudicitiæ figuras ita depictas publice intueri non erubeſcitis, perinde ac ſi Deorum veſtrorum Imagines erectas & ſuſpenſas domi conſecraveritis, figuras geſtusque Philenidis æque depingentes, ac certamina Herculis.* Οἱ πολλοὶ ἀποῤῥίψαντες τὴν αἰδῶ καὶ τὸν φόβον, οἴκοι τοὺς τῶν δαιμόνων ἐγγράφονται πασχητιασμούς· πινακίοις γοῦν τισι καταγράφοις, μετεωρότερον ἀνακειμένους προσεσχηκότες ἀσελγείᾳ τοὺς θαλάμους κεκοσμήκασι, τὴν ἀκολασίαν εὐσέβειαν νομίζαντες· κἀπὶ τοῦ σκίμποδος κατακείμενοι, παρ' αὐτὰς ἔτι τὰς περιπλοκὰς ἀφορῶσιν εἰς τὴν Ἀφροδίτην ἐκείνην, τὴν γιμνὴν τὴν ἐπὶ τῇ συμπλοκῇ δεδεμένην .... φυλάττε δὲ ἔτι μᾶλλον ἀνακείμενα, ὥσπερ ἀμέλει τῶν θεῶν ὑμῶν τὰς εἰκόνας στήλας ἀναισχυντίας καθιερώσαντες οἴκοι, ἐπ' ἴσης ἐγγραφόμενοι τὰ Φιλαινίδος σχήματα, ὡς τὰ Ἡρακλέους ἄθλήματα. Nihil heic Sanctum Patrem Ethnicis aſſeruiſſe, quod in eisdem revera reprehendendum non foret, evincunt ſexcenta eorumdem Ethnicorum Scriptorum teſtimonia. Notiſſima ſunt Elephantidos puellæ Greca *συνουσιῶν σχήματα*, cujus ex Libris Lalage Priapi Sacerdos ductas ſuſpenderat picturas, ut ex Priap. III. 1.

Obſcœnas rigido Deo tabellas
Ducens ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage;

Exque eisdem Tiberium figuras depingi curaviſſe ſuas, quibus nempe Cubiculum inſtruxerat; inde & Martialem Libro ceciniſſe XLI. Epigram. XLIII.

Quales nec Didyme ſciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli,
Sunt illic Veneris novem figuræ.

Svetonius certe in Tiberii Vita, Cap. 43. *Quare*, inquit, *Parrhaſii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam ſibi*

ſub

ſub conditione, ut ſi argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet: non modo (Tiberius) *prætulit, ſed & in cubiculo dedicavit*. Haud defuere vero, qui ſuſpicati ſint, ejuſce generis figuras, aut tabellas, præ manibus habuiſſe quondam, Elephautidem non modo, verum & Hermogenem Tarſenſem, & Philenidem Mileſiam, a quibus eruditi dicuntur ſcripti de rebus venereis libelli. Heinc inverecundas quas in cubiculis Ethnici adorabant pictas Tabulas, Philenidis figuras appellabat Clemens Alexandrinus. Fidem ea de re faciunt Ovidii etiam Carmina, Libro Triſtium II. Elegia I.

Scilicet in domibus veſtris, ut priſca Virorum
Artifici fulgent corpora picta manu;
Sic quæ concubitus varios Venerisque figuras
Exprimat, eſt aliquo picta tabella loco.

Similis argumenti Pictura illa erat a Plauto in Menæchmis memorata:

Dic mihi, numquid vidiſti unquam Tabulam pictam in pariete,
Ubi Aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?

Similis quoque argumenti Tabula memorata a Terentio in Eunucho:

\- - - - - *Virgo in Conclavi ſedet*
Suſpectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat Pictura hæc, Jovem,
Quo pacto Danae miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.

Quæ omnia, tametſi non ſine maximo faſtidio, retulimus, ne Sanctus Pater, nimio Idololatriæ odio, videretur Ethnicis tribuere id de quo eſſet dubitandum. Ut igitur fide dignus eſt, dum eos ait tam obſcœnas erexiſſe & ſuſpendiſſe domi pictas Tabulas, ita fide dignus erit quoque, dum teſtatur, ipſos eo dementiæ deveniſſe, ut Picturas ejusmodi dedicare, conſecrare, & colere non erubuerint, idque Religioni deputaverint, & exiſtimaverint pietatem, quod apertum intemperantis erat & impudici animi argumentum. Sed ad publice cultas, inque Templis erectas Deorum Tabulas revertimur.

Herodianus, Libro V. Cap. 5. luculentiſſime deſcribit quanam ratione Imperator Antoninus cognomento Heliogabalus, rebus in Oriente ordinatis, dum Romam contendere ſtatuiſſet, pictam Imaginem, quæ ſe, ſuumque repræſentabat Numen, ſive Deum Heliogabalum, Romam miſerit, ipſamque erigi & ſacra ſede deſtinari, ut adoraretur, juſſerit. Scribit igitur: *Forma habitus, qua Imperator utebatur, inter Phœniſſam erat ſacram & mollem ſtolam, ac Medorum amictum: nam Romanam veſtem, aut Græcanicam plane aſpernabatur. Quumque retinendum ſibi quemcumque illum cultum animo obſtinaſſet, decrevit abſens periculum facere quonam animo Senatus Populusque Romanus laturi forent. Quare Imaginem propriam maximis lineamentis, qua ipſe obire Sacerdotis munia videbatur, ſimulque figuram Numinis, cujus Sacerdotium gerebat, depictam in tabula præmiſit Romam, juſſis, qui eam ferrent in*

 media

media Curia supra Victoriæ caput edito loco collocare ; ut quum Senatus haberetur, thura unusquisque adoleret, merumque libaret. Quapropter, ut in Urbem pervenit, nihil scilicet novum Romani viderunt, assueti jam Picturæ. ἦν τε αὐτῷ τὸ σχῆμα μεταξὺ Φοινίσσης ἱερᾶς στολῆς, καὶ χλιδῆς Μηδικῆς. Ῥωμαϊκῆς δὲ ἢ Ἑλληνικῆς πᾶσαν ἐσθῆτα ἐμυσάττετο. — Βουλόμενος ἐν ἔθει γενέσθαι τῆς τε σχύματος, ὄψεος τήν τε σύγκλητον καὶ τὸν δῆμον Ῥωμαίων, ἀπόντος τε αὐτοῦ πεῖραν δοθῆναι πῶς φέρουσι τὴν ὄψιν τοῦ σχήματος, εἰκόνα μεγίστην γράψας παντὸς ἑαυτοῦ οἷος προσιών τε καὶ ἱερουργῶν ἐφαίνετο, παραστήσας τε ἐν τῇ γραφῇ τὸν τύπον τοῦ ἐπιχωρίου θεοῦ ᾧ δὴ καλλιεργῶν ἐγέγραπτο. πέμψας τε εἰς τὴν Ῥώμην ἐκέλευσεν ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς συγκλήτου τόπῳ ὑψηλοτάτῳ τε τὴν εἰκόνα ἀνατεθῆναι ὑπὲρ κεφαλῆς τοῦ ἀγάλματος τῆς Νίκης· ὡς συνιόντες εἰς τὸ βουλευτήριον, λιβανωτόν τε θυμιῶσιν ἕκαστος, καὶ οἶνον σπένδωσι. ὡς δὲ εἰς τὴν Ῥώμην ἀφίκετο τῷ προειρημένῳ σχήματι, οὐδὲν παράδοξον εἶδον οἱ Ῥωμαῖοι, τῇ γραφῇ ἐνειθισμένοι. Quid his verbis expressius? Tabulæ, in qua depictus erat Deus Heliogabalus unusquisque thura adolebat, & libabat merum. In edito collocata ipsa erat loco, & quidem publica auctoritate. In Curia erecta erat, videlicet in Templo; neque enim nisi in Templis, in loco videlicet ab Auguribus consecrato haberi a Romanis Senatum potuisse & indocti quoque norunt, & fuse confirmat Nieupoortus, *In Rituum Romanorum Explicatione*, *Sect. I. Cap. II.* §. 5. Una denique cum Victoriæ Simulacro Pictura colebatur illa. Quanta vero foret erga Victoriam illam Romanorum Religio, ex Symmachi Urbis Præfecti Oratione patet pro Sacris Ethnicis retinendis, atque ex Libro Prudentii adversus Symmachum Secundo.

Ceterum, allegatis testimoniis probe intelligendis, animadvertendum est, ea ratione, qua Latini Scriptores de consecratis loquentes Deorum Tabulis, vocem aliquando usurpant *dedicare*; ita & Græcos vocibus uti ἀνάκειται, ἀναθέντος, ἀναθέντων, ἀνακείμενον, similibusque, ut ex allegatis mox patet Græcorum Scriptorum locis, ex quo minime profecto inferendum est, Tabulas illas anathemata quædam & donaria fuisse, non vero Imagines publico cultui propositas; siquidem ἀνάθημα, & ἀνατίθεσαι proprie indicat quod erigitur, suspenditur, & propalam collocatur; aut ipsam pictas erigendi Tabulas actionem, non ex vi modo radicis, ab ἀνὰ scilicet & τίθημι, *sursum pono*, ut Pinacotheca a Πίναξ *Tabula* & τίθημι *pono*; verum & ex loquendi formula veterum Scriptorum. Lucianus, *de morte Peregrini* (ut de aliis loquamur æque cultis Tabulis) postquam se Peregrinum combussisse tradidisset, Deumque a fanaticis quibusdam habitum, ita denique prosequitur: *Imagines enim ab Eleis ipsi, ceterisque Græcis, quibus etiam scripsisse se dicebat, scio multas erectum iri.* εἰκόνας μὲν γὰρ τε Ἠλείων αὐτῶν, παρά τε τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, οἷς καὶ ἐπεσταλκέναι τὰ γράμματα ἔλεγεν, αὐτίκα μάλα οἶδα πολλὰς ἀνα-

στησο-

ϛησομένας. Utitur heic Lucianus verbo ἀνατίθεϛαι, ad Imagines denotandas ipsius Peregrini, quibus coleretur, in Ellade erectas. Eodem utitur verbo Athenæus in loco certe, in quo de donariis non loquitur, sed de Imaginum modo erectione. Libro siquidem Deipnosophistarum XII. de Alcibiade verba faciens scribit: *Athenas ex Olympia reversus, Tabulas duas pictas ab Aglaophonte in publico posuit. In altera Pythias & Olympias ipsum coronabant: in altera super Nemeæ sedentis genibus Alcibiades pulchriore visebatur facie, quam esse muliebrem deceret*. ἀφικόμενος δὲ Ἀθήναζε ἐξ Ὀλυμπίας, δύο πίνακας ἀνέθηκεν Ἀγλαοφῶντες γραφὴν· ὧν ὁ μὲν εἶχεν Ὀλυμπιάδα καὶ Πυθιάδα ϛεφανούσας αὐτόν, ἐν δὲ θατέρῳ Νεμέα ἦν καθημένη, καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων αὐτῆς Ἀλκιβιάδης καλλίων φαινόμενος τῶν γυναικείων προσώπων. Pausanias, *in Eleis*, sive Libro Descriptionis Græciæ V. Junonia describens, sive Ludos in honorem Junonis celebratos, in quibus cursus certamen a Virginibus peragebatur; *accipiunt*, subdit, *Victrices ex olea coronam; & pictas quidem earum Imagines erigere fas est*. καὶ δὴ ἀναθεῖναι σφισιν ἐϛὶ γραψαμένας εἰκόνας. Petavius, Vir Cl. *Libro de Incarnatione XV. Cap.* 14. apertissimis evincit testimoniis, ἀνάθημα, idem esse atque ϛήλη, & ἀνατίθεϛαι, veteres apud Scriptores, idem atque ἀναϛηλῶσαι; quare verba illa proprie de pictis Tabulis dicantur, quæ suspenduntur, eriguntur, propalam collocantur, & cultui publico exhibentur. In Actis siquidem Sylvestri Papæ, inque Epistola Pontificis Adriani ad Constantinum & Irenem, ceterisque in Actis Septima in Synodo relatis, mentio fit Imaginum pictarum, quas veneratus dicitur Constantinus Magnus, eas ἀναϛηλῶν *erigens* in Templis; quod verbum illa in Synodo frequens etiam repetitum. Canon quoque LXXXII. Synodi Trullanæ Effigiem pictam Salvatoris ἀναϛηλοῦσϛαι *erigi* in Templis præcepit; quam ad significationem trahit Petavius verba etiam ἀνατίθεϛαι, ἀναϛηλογραφεῖν, ϛηλογραφεῖν, & similia; quod pluribus se ostendisse ait *in Miscellaneis Exercitationibus olim ad Julianum adnotatis Cap. XIII.* Ea igitur ratione, qua Synodi Trullana, & Septima, veteresque Patres, voces usurpant ἀνατίθεϛαι, & ἀναϛηλῶσαι, ad erectionem Sanctarum Imaginum depictarum, earumque cultus caussa collocationem denotandam; eaque ratione, qua Lucianus Imagines Peregrini, ob cultum ἀναϛησομένας erectas ait, & Antonini Tabulam, qua Deus Heliogabalus depictus erat, adorationis ergo, ἀνατεθῆναι suspendi & collocari jussam scribit Herodianus, non ut innueret Tabulam ejusmodi, veluti donarium aliquod fuisse consecratam, sed ut illam in loco adorationi apto erectam fuisse traderet; ita Strabo & Athenæus, verbis illis ἀνάκειται, ἀναθέντος, ἀναθέντων, ἀνακείμενον usi sunt dum de pictis Tabulis Anadyomene Veneris, Bacchique, & Veneris Corinthiæ, quæ Roma-

norum

norum in Templis erectæ, suspensæ, & collocatæ erant, loquuti sunt, non quod eas donaria fuisse indicare vellent; sed ut significarent, fuisse easdem sacris illis & publicis in locis, veluti colenda Deorum Simulacra, pro moribus & ritu Ethnicorum, collocatas.

Svetonius de Cæsare Caligula verba faciens, *inter reliquos honores*, scribit, *decretus est ei Clypeus aureus, quem quotannis certa die Collegia Sacerdotum in Capitolium ferunt, Senatu prosequente: nobilibusque pueris & puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus*. Clypeum hujusmodi, Imaginem clypeatam, in Notis ad hunc locum interpretatur Casaubonus. Illam vero Imaginem fuisse in Clypeo depictam, ex Macrobio eruere pervium est, Libro Saturnalium I. Cap. 3. ubi de jocis agit Ciceronis his verbis: *Cum in ea Provincia, quam Q. Cicero frater rexerat, vidisset clypeatam Imaginem ejus, ingentibus lineamentis usque ad pectus depictam (erat enim Quintus ipse staturæ parvæ) ait: Frater meus dimidius, major est quam totus. Vocarunt has Imagines, Scuta*. Has igitur Imagines in Scutis, sive in Clypeis depictas Ethnici consecrabant, religiose circumgestabant, colebantque. Trebellius de Claudio Secundo: *Clypeus aureus, Senatus totius judicio, in Romana Curia collocatus est; ut etiam nunc videatur expressa thorace ejus Imago*. In Panegyrico quoque Constantino Augusto Constantini filio dicto: *Merito igitur*, scribit Auctor, *Tibi, Constantine Imperator, & Senatus Signum Dei, & paullo ante Italia scutum & coronam, cuncta aurea dedicavit*. Scutum, inquam, illius generis, in quo Cæsarum Imagines depictæ erant & expressæ.

Infinitus essem, si Tabulas religionis ergo ab Ethnicis, sive in publicis, sive privatis etiam in locis erectas vellem recensere. Libanius Declamatione XXXIX. scribit: *Sæpenumero homines a morbo recreati, Dei beneficentiam remunerantes, in Tabula Æsculapium, ut beneficum, pingunt*. μετὰ τὴν νόσον πολλάκις ἄνθρωποι τῆς εὐποιΐας ἀμειβόμενοι τὸν θεὸν, εἰκόνι τὸν Ασκληπιὸν, ὡς εὐεργέτην γράφουσι. Jacobus autem Belgradus, Vir Cl. in Epistola ad celeberrimum Marchionem Maffejum, de Herculanio, & veteribus Ædificiis sub Retina recens inventis, scribit: *Inter antiqua ejus rudera, non modo marmorei, sed etiam picti Hercules plures inventi sunt, qui Herculanensium in Herculem religionem & cultum publicis monumentis quodammodo consignatam testantur*. Franciscus Junius, Libro II. de Pictura Veterum, Cap. 8. ait quoque: *Portæ Urbium & privatarum Ædium januæ universæ olim pictura conspicuæ erant, quemadmodum in ipso statim suburbiorum introitu Martem depingebant, innuentes Martis patrocinio quæ extra Urbem erant indigere*. Cujus in confirmationem rei Scholiastem allegat in Eschyli ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, & Tzetzem ad Vers. 356. Lycophronis Cassan-

Cassandræ. Ad Deos quoque in privatarum januis ædium depictos adludere Ausonius videtur, Epigrammate XXIV.

Ceris inurens Januarum limina,
Et Atriorum pegmata.

Quibus illustrandis plura adferri possent Salmasii *in Solinum*, de triplici apud Veteres encaustices genere; altero, quo Tabulam discoloribus ceris inducebant, & insternebant ad quidlibet exprimendum pingendumque; quas postea ceras inurebant, ut lævigarent & exæquarent; neque ullus eo in genere penicilli erat usus; altero, quod κεστρωτὸν vocabant; tertio, liquefactis igne ceris, & usu penicilli. Jam vero Genios, pro Ethnicorum superstitione, rebus omnibus adsignatos novimus, inque rebus omnibus eosdem depictos vel expressos docet Prudentius, Libro adversus Symmachum II.

Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum,
Quum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Adsignare suos Genios; perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Geniorum ejusmodi Figuræ, quas proculdubio Ethnici colebant, aliquando insculptæ erant, sed pictæ etiam aliquando, & anguis specie repræsentatæ, ut docet Servius ad Librum Æneidos V. v. 81. his verbis: *Nullus sine Genio locus est, qui per anguem plerumque ostenditur.* Heinc Persius Satyra I.

Pinge duos angues, facer est locus.

Juvenalis vero Satyra VIII.

- - - - - - - - *Jurat*
Solam Eponam, & facies olida ad præsepia pictas.

Erga vero Imagines Deorum, tutelæ caussa, in Navium puppibus, coloribus expressas, quanta fuit Ethnicorum Religio! Ad illas vota certe Nautæ concipiebant sua, fœdera ante illas, veluti ad aras, sanciebant; eas denique, dum opus foret, expiabant, uti non apud Seldenum modo & Beyerum, Stanlejum, Junium, Salmasium, sed præcipue etiam videre est apud Johannem Schefferum, *Libro III. de Militia Navali Veterum Cap. I.* Jam vero, tametsi sculptæ aliquando Imagines illorum Tutelarium essent (etsi in Acrostiliis potius tunc, quam in puppibus ponerentur) plurimum pictas fuisse tamen, testatur Lilius Gregorius Gyraldus, Libro de Navigiis Veterum Cap. IX. ubi habet: *Sed & Deorum nominibus, in quorum tutela Navigia essent, plerumque nuncupabantur, quique in illis depicti essent*; quod & apertissimis Veterum ostendit testimoniis, illo præsertim Valerii Flacci, Libro Argonauticorum I.

Constitit ut longo moles non pervia ponto

Puppis,

Puppis, & ut tenues subiere latentia cera
Lumina, picturæ varios superavit honores.

Allegatus autem Schefferus id ex Lucano confirmat, Libro Pharsaliæ III. ubi canit.

. . . . . *Non robore picto*
Ornatas decuit fulgens Tutela carinas.

Exque Ovidio, Libro Fastorum IV.

. . . . . *Picta coloribus ustis*
Cælestem Matrem concava puppis habet.

Quin & Naves; quarum Tutelæ pictæ erant, in medio fere puppis Effigies illas habuisse, ex Ovidio eruit, Libro Tristium I.

. . . . *Pictos verberat unda Deos.*

Factum autem fuisse nonnumquam, ut quod erat Tutela in Navi, id ipsum ei etiam pro Signo poneretur, ex Procopio intelligimus, in Isajæ Caput XII. scribente: *Ductum fuisse Paulum, inquit Lucas, in Navi Alexandrina, cui signum erat Castor & Pollux; in proris siquidem Deorum Effigies depictæ erant.* ἐπιβῆναι τε φησὶν Παῦλον ὁ Λυκᾶς ἐν πλοιῷ Ἀλεξανδρινῷ παρασήμῳ διοσκούροις· ταῖς γὰρ πρῴραις αἱ θεῶν εἰκόναι ἐνάγραφον. Cyrillus autem in Catena eundem ad Prophetam, a Daniele Heinsio laudata: *Actorum Scriptor Apostolorum inquit, Paulum cum sociis ascendisse Alexandrinam navim, cui Dioscuri signum erant; perpetua Alexandrinorum consuetudine, in dextra & sinistra proræ, talium Effigies Numinum pingendi.* Ὁ τὰς πράξεις τῶν Ἀποστόλων συγγραφὼς, ἐπιβῆναι φησὶν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ πλοιῷ Ἀλεξανδρινῷ παρασήμῳ διοσκούροις· ἔθος γὰρ πως ἀεὶ ἐν ταῖς Ἀλεξανδραίων μάλιστα ναυσὶ πρός γε τῆς πρῴρης δεξία τε καὶ εὐώνυμα γραφὰς εἶναι τοιαύτας. Quod autem ad rem nostram in præsentia adtinet, Procopii dictum est, in Caput Isajæ XII. videlicet: *ita Ethnicorum in Navibus pictas fuisse suorum Effigies Deorum, uti nunc in nostris pictæ sunt Effigies Sanctorum Martyrum:* ταῖς γὰρ πρῴραις αἱ θεῶν εἰκόναι ἐνέγραφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων Μαρτύρων. Quare, uti, Religionis ergo, nostros nos in Navium puppibus Divos pingimus, ita, Religionis ergo, suos in navium puppibus Ethnici pingebant Deos; utque Nautæ nostri pictas illas Imagines Divorum colunt, ita Gentiles Nautæ depictas in puppibus suorum adorabant Imagines Deorum.

Prætereo tot illæ, quæ de Imaginibus in Vexillis Ethnicorum depictis dici possent; satis autem sit unicum Nieupoorti testimonium in Rituum Romanorum explicatione, Sectione V. Cap. IV. §. 2. *Equites*, inquit, *habuerunt Vexilla, sive Flammulas fere hodiernis nostrorum Equitum similes, quibus nomen Imperatoris aureis literis erat intextum: Hæc omnia Signa Sacra erant, & Deorum fere loco colebantur, mortis pœna in milites, qui ea amisissent, constituta: quemadmodum etiam Mi-*

lites

lites ob ea violata severissime puniebantur. *Itaque* τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως Matthæi XXIV. 15. abominatio *scilicet* desolationis *hunc Signorum cultum denotare videtur*. *Imo ob hanc Signorum Religionem, præcipuo Signo, quod Labarum eo ævo dicebatur, Constantinus literas initiales nominis Christi inscribi jussit*. Quæ quidem omnia Vir Cl. auctoritate confirmat veterum Scriptorum, & Numismatibus illustratis. *Totius Legionis Insigne*, scribit Vegetius, Libro de Militia Romana II. Cap. 6. *sunt Imagines Imperatorum, quas tamquam divina & præsentia Signa venerantur*. Pitiscus autem in Lexico Romanarum Antiquitatum, Classicis æque Scriptoribus innixus, de Imaginibus differens, hoc modo ea omnia confirmat: *Nomen Imperatoris noviter creati Vexillis inscribere solebant Milites, sub illis litteris Imago inscripta Imperatoris. Hanc lacerabant qui ab Imperatore deficiebant; eamque religiose venerabantur, etiam dum eisdem adhærebant*. Loquitur Dio, Libro XL. de Signis & Vexillis velorum similibus, & puniceas litteras inscriptas habentibus, ad indicium Exercitus & Imperatoris sui faciendum. Pro more vero Romanæ militiæ id Græcis etiam afferebat Thebaidis Scriptor Statius:

- - - - Aurea clarum nota
Nomen Ducum Vexilla præscriptum ferunt.

Nec litteras modo, sed Imagines etiam eisdem depinxisse in Vexillis evincit Appianus, *Libro II. de Bello Civili*, narrans, Quintam Cæsaris Legionem, quod se se Elephantis viriliter opposuisset, ob idque Victoriam indepta foret, in ejusdem iccirco Legionis Vexillis depictos fuisse Elephantos. Constantinus igitur, Christianus factus, non Imaginem modo Crucis, sed & Christi quoque Nomen in Vexillo inscriptum voluit, uti illo de Imperatore Prudentius canit:

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum Insignia Christus
Scripserat.

Hocce de Vexillo, & apud Historiographos Græcos, Latinosque, Labari quamvis nomine suppresso, mentionem fecisse animadvertit Lilius Gregorius Giraldus, *Variorum Criticorum Dialogo XV.* illudque Vexillum ceteris pretiosius fuisse asserit, Imperatoresque præcedens, & cultum a militibus, quod Constantinum mutasse subjicit in Vexillum Christianæ Religionis, depicta Cruce, expressoque Christi nomine; quin & Signiferos constituisse in eo laborantes ut Vexillum illud, in quo Crux cum Christi nomine depicta, ante Ordines proponerent, eaque cura & frequenti visione cogerent Milites desuescere a Pictura, sive ab Imaginibus Imperatorum, quas præcipuo conspicere in Vexillo, & religiose colere consueverant; eumque solum arbitrarentur Deum, quem veneraretur Imperator. Sed de his satis.

Placet autem heic subjicere pictas illas Tabulas, quas Simonis Magi Discipuli, Gnostici, Carpocratiani, aliique generis ejusce homines religiose coluere, præsertim quum id illos Ethnico præstitisse ritu Sancti Patres apertissime testentur; quod in rem nostram facit vehementer. Epiphanius igitur, Hæresi XXI. de Simone loquens Mago, ita scribit: *Imaginem quandam, quam sui effigiem esse dicebat, Discipulis suis tradidit, qui eum sub specie Jovis adorant; aliam Helenæ figuram, cujusmodi pingi Minerva solet, iisdem Discipulis obtrusit, quam peræque Fanatici illi venerantur.* ἀλλὰ καὶ εἰκόνα τινὰ παραδίδωσι τοῖς αὐτοῦς ὡς δῆθεν αὐτοῦ οὖσαν· καὶ προσκυνοῦσιν αὐτὴν ἐν εἴδει Διός· ἄλλην δὲ ὁσαύτως Ελένης εἰκόνα παρέδωκεν αὐτοῖς ἐν σχήματι Αʹθηνᾶς, καὶ προσκυνοῦσι ταύτας οἱ πρὸς αὐτοῦ ἠπατημένοι. Augustinus æque illo de Hæreticorum Principe: *Imagines & suam* (Simon) *& ejusdem Meretricis Helenæ, Discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ, tamquam Deorum Simulacra, auctoritate publica constituit.* Ita Sanctus Pater, in Libro adversus Hæreses. Imagines jam vero illas depictas fuisse, non sculptas, ex Epiphanii testimonio intelligimus, vocem non semel εἰκόνα usurpantis, quæ, pro perpetua Patrum Græcorum phrasi, non Statuam, sed Imaginem coloribus expressam denotabat. Simonis autem & Helenæ faciem tametsi Imagines ejusmodi haberent, vestitum tamen, ornatumque, insignia, ceteraque Jovis & Minervæ præferebant Symbola; quod Ethnico more factum; quum suorum Imagines Heroum, Deorum Dearumque effigie Gentiles exhiberent. Innuit id Athenæus, Libro Deipnosophistarum XII. ubi scribit: *Pisistratus certe, quamvis multis rebus gravis & molestus fuerit, tamen faciem Bacchi, quæ Athenis visitur, ejus Imaginem esse quidam ajunt.* ὁ δὲ Πεισίστρατος καὶ ἐν πολλοῖς βαρὺς ἐγένετο, ὅπου καὶ τὸ Αʹθήνησι τοῦ Διονύσου πρόσωπον ἐκείνου τινὲς φασὶν εἶναι εἰκόνα. Neque Heroas modo, sed & ceteros sibi sanguine aut alia necessitudine conjunctos, Deorum formis post fata Ethnici repræsentabant, ut ex Papinii Statii Libro eruimus Sylvarum V. Carmine primo, quippe Abascantii pietatem in Priscillam Uxorem laudans, ubi ad hujus tandem venit descriptionem tumuli, ita fatur:

Hic Te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius Conjux (nec enim fumantia busta,
Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro. nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores.
Siccatam membris, tantas venerabile marmor
Sepit opes: hoc ære Ceres, hoc lucida Gnossis,
Illo Maja tholo, Venus hoc non improba saxo.
Accipiunt vultus haud indignata decoros

Numi-

Numina. circumstant famuli consuetaque turba
Obsequiis, tum rite tori, mensaeque parantur
Assidue: domus ista, domus: quis triste sepulchrum
Dixerit?

Redeamus ad Picturas. Divus Irenæus, Libro adversus Hæreses I. Cap. XXIV. de Gnosticis agens, *Etiam Imagines*, inquit, *quasdam depictas, quasdam autem de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato. Et eas coronant, & reliquam observantiam, similiter ut Gentes, faciunt*. Quo vix aliud evidentius excogitari posse testimonium dubito pictarum cultui Tabularum apud Ethnicos manifestando; nisi forte ad Epiphanium confugiamus, qui Hæresi XXVII. quæ est Carpocratianorum, eos adserit, *non alia re nobis similes fuisse, quam quod solo Christi nomine gloriarentur, & ementiti hujus vocabuli specie improbitatem suam exercerent*. εἰς ὐδὲν γὰρ ἡμῖν ὁμοιῦνται, ἢ μόνον ὀνόματι καλεῖσθαι σεμνύνονται, ὅπως διὰ τῦ ὀνόματος τῦ ἐπιπλάσῦ τὰ τῆς ἑαυτῶν κακίας ἐργάζωνται; cetera igitur Ethnicos fuisse, quorum superstitiones, & colendi ritus formasque imitarentur. Ejusmodi igitur de Idololatris scribere ita pergit: *Habent porro Carpocratiani depictas coloribus Imagines, quidam etiam aureas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu Effigies affirmant: easdemque a Pontio Pilato ad Christi similitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Ejusmodi tamen Imagines veluti occultant; sed quorumdam Imagines Philosophorum, ut Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorumque, quibus eas, quas dixi, Christi Effigies miscent, erigunt, suspenduntque, & simul omnes adorant, ad easque Gentilium ritus instituunt. Collocatis enim Imaginibus istis, quæ a Gentibus fieri solent deinceps perficiunt. Quinam vero sunt gentiles ii ritus, quam sacrificia ceteraque generis ejusdem?* Ἔχῦσι δὲ εἰκόνας ἐνζωγράφους διὰ χρωμάτων, τινὲς δὲ ἐκ χρυσῦ καὶ ἀργύρου, καὶ λοιπῆς ὕλης, ἅ τινα ἐκτυπώματά φασιν εἶναι τῦ Ἰησῦ· καὶ ταῦτα ὑπὸ Ποντίῦ Πιλάτῦ γεγενῆσθαι τὰ ἐκτυπώματα τῦ αὐτῦ Ἰησῦ, ὅτε ἐνεδήμει τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει· κρύβδην δὲ τὰς τοιαύτας ἔχουσιν εἰκόνας· ἀλλὰ καὶ Φιλοσόφων τινων, Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλῦς, καὶ λοιπῶν· μεθ' ὧν Φιλοσόφων καὶ ἕτερα ἐκτυπώματα τῦ Ἰησῦ τιθέασιν, ἱδρύσαντές τε προσκυνῦσι, καὶ τὰ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελῦσι Μυστήρια· στήσαντες γὰρ ταύτας τὰς εἰκόνας, τὰ τῶν ἐθνῶν ἔθη λοιπὸν ποιῦσι, καὶ τὰ ἄλλα. Aperte de Imaginibus loquitur depictis Epiphanius, & coloribus expressis, εἰκόνας ἐνζωγράφυς διὰ χρωμάτων, iisque religiose erectis, & sacrificio, ceterisque ritibus Ethnicorum, adoratis. Divus æque Augustinus de Carpocrate, Hæresi VII. scribit: *Sectæ ipsius fuisse traditur socia quædam Marcellina, quæ colebat Imagines Jesu & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando incensumque ponendo*. Simili prope modo, quo tradidit Lampridius Alexandrum

 Mam-

Mammeæ Severum in Larario habuisse suo Christum, Abrahamum, Orpheum, & Apollonium. Animadvertit jam vero Lilius Gregorius Giraldus Historiæ Deorum Syntagmate XV. *duo habuisse Veteres Lararia, in quorum altero Deos immortales a Diis immortalibus progenitos: in altero Divos, qui ex hominibus in Deorum numerum prolati fuissent, venerarentur: quos utrosque Deos, prout ferebat occasio, & salutabant, & floribus thureque, & cetero thymiamate, & interdum quoque victimis, aliisque rebus sibi suisque propitios faciebant*. Nec errare Giraldum evincit illustris Taciti locus, qui, Libro Annalium IV. Agrippinam, dum Claudia Pulchra impudicitiæ, veneficiorum, & devotionis postularetur, ad Tiberium, ita rem describens, loquentem inducit: *Agrippina semper atrox, tum & periculo propinquæ accensa, pergit ad Tiberium, & forte sacrificantem Patri repperit; quo initio invidiæ, Num ejusdem, ait, mactare Divo Augusto victimas, & Posteros ejus insectari? Non in Effigies mutas divinum spiritum transfusum, sed imaginem veram cælesti sanguine ortam intelligere discrimen, suscipere sordes; frustra Pulchram proscribi, cui sola exitii causa sit, quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiæ ab eadem adflictæ*. Tiberium tunc coram picta Augusti Imagine sacrificium obtulisse, innuere videntur *Effigies illæ mutæ*; nam *Imaginem mutam*, Imaginem coloribus expressam denotare, plurimi contendunt. Quin & allegata Giraldi verba viam, ni fallimur, perviam aperiunt Plinio Secundo probe intelligendo, tum Epistola ad Cornelium Titianum Libro I. ubi scribit: *Est enim omnino Capitoni in usu Claros colere, mirum est qua Religione, quo studio, Imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum, domi, ubi potest habeat*; tum etiam Libro Epistolarum III. ubi de Silio Italico ita ad Caninium scribit: *Erat enim* φιλόκαλος *usque ad emacitatis reprehensionem, plures iisdem locis Villas possidebat, adamatisque novis, priores negligebat, multum ibi Librorum, multum Statuarum, multum Imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus Natalem religiosius quam suum venerabatur*; uti Ethnico nempe more depictas coloribus Imagines Discipulos Simonis Magi, Gnosticos, & Carpocratianos veneratos esse disertissime testantur Sancti Patres, qui quum eos depictis ejusmodi Imaginibus ea thure, thymiamate, victimis, eodemque adserant præstitisse ritu, quæ suorum erga pictas Dæmonum Tabulas præstare Ethnici consueverant, haud video cur posteriores hosce easdem adorasse Tabulas aliquo jure dubitare valeamus.

Dies vero me deficeret, si prætermissis veteribus Ethnicis, de nuper detectorum, aut recens cognitorum Gentilium cultu dicerem erga Tabulas Numinum suorum pictas. Athanasius Kircherus, Soc. Jesu Vir Cl. plurimas in medium protulit in Libro, cui fecit titulum:

China

China monumentis qua sacris, qua profanis illustrata. Quin & schemata illarum in medium profert Picturarum; quare dignoscamus, haud magis superstitiosos fuisse Sinenses illos, quam pessimos Pictores. Revera scripsit Andreas Mullerus, in Disquisitione Geographica & Historica de Chataja: *Sola Pictura & fortitudine Sinae ab Europaeis superantur*. Quot vero Scriptores, testes sane fide digni prostant, qui tradunt eosdem Sinas coram pictis Deorum Heroumque suorum Tabulis, genuflexiones, orationes, deprecationesque facere solitos esse; easque Tabulas propriis in Altaribus, cum rosis, candelis, lampadibus, & odoramentis collocare! Marcus Polus Venetus, Libro III. de Regionibus Orientalibus, Cap. 28. *Omnes habitatores Provinciae Maabar*, inquit, *tam Viri, quam Mulieres nigri sunt: sed arte quadam nigredinem illam corporibus illinunt, putantes nigredinem illis decori esse. Idololatrae, qui inter eos sunt, Deorum suorum Imagines nigerrimas pingunt; asserentes, Deos, & omnes Sanctos nigros esse; Daemonem vero album pingunt, asserentes, Daemonas candidi esse coloris*. Bernardus autem Picardus, sua in Historia Ceremoniarum, Morum, & Rituum Sacrorum, qui apud Populos Universi obtinent, Tomo II. Cap. 16. collata veterum Idololatria Ethnicorum, cum Idololatria hodiernorum Gentilium, relate ad Deorum etiam cultum, subjicit: *Recentiores, sive hodierni Ethnici suorum relate ad Imagines Deorum in eadem versantur ac Veteres sententia; inde est, quod ea ratione qua Veteres, ita hodierni quoque Idololatrae cum sculptas, tum pictas etiam Imagines suis consecrare pergunt Diis, & eodem fere quo nos Divorum Imagines veneramur cultu. Ardent coram Deorum Imaginibus & Statuis Lampades taedaeque, religiose Imagines & Statuae circumgestantur, uti apud Orientales Indos Imagines Eswarae & Wistnovii; eas Ethnici osculantur &c.* Verum quia postulamur imitationis veterum Ethnicorum, eaque perpetrare nos Latini dicimur, quae Sacris in Litteris interdicuntur, quaeque Sancti Patres in Idololatris sui temporis notabant, ideo ab hodiernarum recensione Picturarum, quas in praesentia Gentiles colunt, abstinendum ducimus.

CAPUT

CAPUT IX.

Cur præ maxima Statuarum Deorum copia, Imaginum pictarum, quas Ethnici coluerunt, numerus exiguus adeo fuisse videatur.

RELIQUUM videtur modo esse, ut dubitationi illorum occurramus, qui pictarum apud Ethnicos publicum cultum Imaginum componere non valerent cum exiguo earumdem numero, de quibus mentio est apud Classicos Scriptores; præsertim quum vix aliqua hodie ejusmodi Picturarum reperiatur, quum ex opposito tot reliquæ sint veterum Deorum adhuc Statuæ, tot Signa, Sigilla, & Simulacra. Eo vero validius argumentari se posse crederent, si animadverterent, eam fuisse Veterum picturam, ut non facile corrumperetur. Præter ea siquidem, quæ *Tomo habemus I. Ephemeridum Florentinarum, Num. XXXI. pag.* 483. de Picturis quibusdam nuper in Ægypto observatis, quæ, licet vetustissimæ, eum tamen præferunt colorem, ut nudius tertius e penicillo prodiisse videantur; præter illa, inquam, pervium est quod habet Tarquinius Gallutius, Tomo II. Orat. III. his verbis: *Colores fortasse nos addimus & varios & meliores; numquam enim ita multiplices, aut tam floridos vidit Antiquitas, quæ magis austeris & surdioribus utebatur. Sed ne isto quidem nomine fecimus aliud, nisi fucum, atque aspicientium oculis, ut Juris Consulti loquuntur, imposturam. Illi enim Priscorum Artifices hebetiora sane pigmenta, nec plura quam quatuor, parietibus ac Tabulis inducebant levissime; sed tamen immortalia illa fecerunt opera, quibus afferre vitium longissima Sæcula non potuerunt. Nos Chrysocolle, nos purpurisso, nos Indico limo, & Draconum sanie Tabulas investimus, nec tam coloribus illinimus, quam medicato tectorio parietes incrustamus. Sed quicquid agimus interea, quicquid eo labore confingimus, fugacissimum est, fluxum in horas, & brevi tempore permansurum. Libuit mihi per otium inspicere picturam antiquæ superstitionis argumentum in pariete vetustissimo, qui non multis ab hinc annis e Mæcenatis effossus substructionibus in Aldobrandinis repositus est viridariis, ea perfectam diligentia, coloribus ita pertinacibus, ac diuturnis, ut neque tanta præteritorum ætas annorum, neque congestæ rupes, quæ supervenerunt in dies, neque subterranei specus humida tabes, situsque teterrimus, minimum de lumine ac splendore, multum de commissura transituque, multum de alia operis dignitate detraxerit. Spirant enim adhuc ea pigmenta, fucusque minime fucatus spirat, & in cariosa macerie, cæmentisque corruptis apparet artificium integrum, & lineamenti recentia.* Quæ quum ita sint, quumque diuturnus adeo sit Veterum in Tabulis color, cur, inquient, nullæ pene erutæ sunt antiquorum tem-

temporum Picturæ; quæ in Religionis usum olim cessisse videantur? Consequentur igitur, non adeo fuisse receptas in cultu publico Picturas, uti recepta erant Simulacra Numinum & Signa.

Cui adimendo scrupulo, aliqua nunc de brevi fortuna Picturæ veterum dicemus, tum de inopia optimorum apud Veteres Pictorum, curve pauci in pretio habiti, neque omnium excellentium etiam Pictorum Opera memoriæ Posterorum consignata; quare demum infinitæ perierint Picturæ & Sacræ Tabulæ, unde, Simulacrorum instar, eruderari in præsentia non possint. Neque tamen heic de Picturæ antiquitate nos dissertaturos quis speret. Sive non ante Trojana tempora floruerit Pictura apud Græcos, uti arbitratus est Plinius, *Libro Historiæ Naturalis XXXV.*, sive ea reapse antecesserit, ut ex Homero & Hesiodo colligit Gerardus Johannes Vossius, Libro *de IV. Artibus Popularibus*, *Cap. V.*, & ex Vossio Tragujerius, *Parte I. Act. Academiæ inscriptionum Paris*; iisdem conjectationibus contendit; certum tamen, ut jam animadvertimus, fuisse, apud Ægyptios saltem, Picturam antiquissimus temporibus receptam. Ceterum, exceptis Ægyptiis, & Græcis, alios apud Populos Picturam olim valde floruisse, est cur dubitemus. Eusebius, Libro Præparationis Evangelicæ VI. Cap. X. hæc, pro Ethnicorum præconceptis, uti aliis de artibus, ita de Graphica scribebat: *Jam Mercurium ferunt suis in Ædibus cum Venere congredientem, Fictores, Pictores, Nummularios; at in Veneris Ædibus, Unguentarios, Phonascos, Histriones efficere. Atqui apud Tainos, & Saracenos, ac tam in superiore Libya, quam apud Mauros, nec non apud Nomadas illos, qui Oceani ostium accolunt, simulque tam in exteriore Germania, quam in Sarmatia superiore, Scythia quoque & ceteris omnibus, quæ ad Septentrionales Ponti partes habitant Gentibus: insuper tota passim Alania, Albania, Otene, Saunia, & aurea Chersoneso, neque Nummularium ullum videas, neque Fictorem, neque Pictorem, neque Architectum, neque Geometram, neque Phonascum, neque Histrionem; sed ambitu illo terrarum universo vis ista Mercurii Venerisque nulla est.* Ἑρμῆς μετὰ Ἀφροδίτης ἐν οἴκοις Ἑρμοῦ, ποιεῖ Πλάστας, καὶ Ζωγράφους, καὶ Τραπεζίτας· ἐν οἴκοις δὲ Ἀφροδίτης Μυρεψούς, ἢ Φωνάσκους, καὶ Ὑποκριτὰς ποιημάτων· Καὶ παρὰ Ταϊνοῖς, καὶ Σαρακηνοῖς, καὶ ἐν τῇ ἀνωτέρᾳ Λιβύῃ καὶ παρὰ Μαύροις, καὶ παρὰ τοῖς παρὰ τὸ στόμα τοῦ Ὠκεανοῦ Νομάσι, καὶ ἐν τῇ ἐξωτέρᾳ Γερμανίᾳ, καὶ ἐν τῇ ἀνωτέρᾳ Σαρματίᾳ, καὶ ἐν τῇ Σκυθίᾳ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐξ Ἀρκτικῶν μερῶν τοῦ Πόντου ἔθνεσι, καὶ ὅλῃ τῇ Ἀλανίᾳ, καὶ Ἀλβανίᾳ, καὶ Ὠτηνῇ, καὶ Σαυνίᾳ, καὶ ἐν Χρυσῇ οὐκ ἔστιν ἰδεῖν, οὐ Τραπεζίτην, οὐ Πλάστην, οὐ Ζωγράφον, οὐκ Ἀρχιτέκτονα, οὐ Γεωμέτρην, οὐ Φωνάσκον, οὐχ Ὑποκριτὴν ποιημάτων, ἀλλ᾽ ἐστέρηται ὁ τῆς τοῦ Ἑρμοῦ, καὶ τῆς Ἀφροδίτης ἐνεργείας τρόπος ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ τούτῳ τῆς οἰκουμένης. Ad Ægyptios igitur, Græcosque modo, Pictoria ars, quæ nobis tamen

men

men cognita, est restringenda. Quod etiam de Statuaria jure adfirmat Eusebius; nam tametsi alii etiam Populi Statuas haberent, non tamen affabre efformatas, aut aliqua ratione cum Statuis Græcorum conferendas, sed rudes prorsus & barbaras, ut ex Luciano vidimus, in *Jove Tragœdo*, Capite hujus Commentarii Secundo. Heinc & Statuæ olim fuisse memorantur, ubi nullæ memorari possunt Picturæ. Sic Elias Schedius, *Syngrammate III. & IV. de Diis Germanorum*, plurimas eorum adfert Statuas, Picturam autem nullam; ad Statuas siquidem confugerunt semper, qui graphica arte caruere; ut de Latinis nostris dicemus in loco. Ars autem Pictoria nullibi olim viguisse memoratur, nisi apud Ægyptios & Græcos; a quibus tamen sero admodum in liberalium fuit artium numerum recepta; factumque id primo auctoritate Pamphili Macedonis, qui Apellis Præceptor fuit, ut Vossius adnotat, *de IV. Artibus popularibus*, *Cap. V.* Verum neque inde apud Græcos semper floruit, sed solum aliquando. Quintilianus, Libro XII. Institutionum Oratoriarum, Cap. X. *Primi*, scribit, *quorum quidem opera non vetustatis modo visenda sunt, clari Pictores fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, & velut futuræ mox artis primordia, maximis, qui post eos floruerunt, Pictoribus præferantur; proprio quodam intelligendi (ut mea fert opinio) ambitu. Post Zeusis atque Parrhasius non multum ætate distantes (circa Peloponnesia ambo tempora: nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur,) plurimum arti addiderunt. Quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundum examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeusis plus membris corporum dedit, id amplius atque augustius ratus; atque (ut existimant) Homerum secutus, cui validissima quoque forma etiam in fœminis placet. Ille vero ita circumscripsit omnia, ut eum Legumlatorem vocent, quia Deorum atque Heroum Effigies, quales ab eo sunt traditæ, ceteri, tamquam ita necesse sit, sequantur. Floruit autem circa Philippum, & usque ad successores Alexandri, Pictura præcipue, sed diversis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus, concipiendis visionibus, (quas φαντασίας vocant) Theon Samius, ingenio & gratia, quam in se maxime jactat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit, quod ceteris optimis studiis inter præcipuos, & pingendi fingendique idem mirus Artifex fuit.* Non igitur multo tempore videtur vel apud Græcos ars illa floruisse, sed solum circa Philippi & Alexandri tempora, & paullo post; saltem si de præstantissimis loquimur Pictoribus, quorum etiam Tabulis delectati sunt devicta Asia & Græcia Romani. Erat enim vere brevis illa ætatis peripheria *primum* tempus, ut Venusinus ait Vates, Libro Epistolarum II. Ep. I. quo armis positis cœpit nugari Græcia.

Mar-

Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit:
Suspendit picta vultum mentemque tabella.

Sævioribus namque subsequutis bellis successorum Alexandri impotentia excitatis, labefactari rursus artes cœpere, & ita in deterius labi, ut vix sublapsæ referri inde potuere. Scribit quippe Athenæus Libro Deipnosophistarum V. Cap. 25. *Nescis enim Meneclem Barcæum Scriptorem, & Andronem in Annalibus Alexandrinorum prodidisse, ab Alexandrinis eruditos fuisse & Græcos omnes, & Barbaros, quum jam defecisset & exolevisset Disciplinarum in Orbem conferta series, ob continuos bellorum motus, quæ Alexandri Successorum temporibus exarserunt. Renovatæ sunt itaque omnes Disciplinæ sub Ægypti septimo Rege Ptolemæo, quem vere & apte maleficum Alexandrini vocavere. Hic enim jugulatis multis Alexandriæ Civibus, & non paucis eorum, qui cum ipsius fratre pubescentes adoleverant, artis in exilium, Urbes Insulasque replevit Grammaticis, Philosophis, Geometris, Musicis, Puerorum Magistris, Pictoribus, Medicis, & aliis pluribus Artificibus, qui ob inopiam ea docentes quæ scirent, omni humanitate præclaros Viros expoliverunt.* Οὐ γὰρ οἶδας ἱστοροῦντα Μενεκλέα τὸν Βαρκαῖον συγγραφέα, ἔτι τε Ἀνδρῶνα ἐν τοῖς χρονικοῖς τὸν Ἀλεξανδρέα, ὅτι Ἀλεξανδρεῖς εἰσιν οἱ παιδεύσαντες πάντας τοὺς Ἕλληνας καὶ τοὺς Βαρβάρους. κ. τ. λ. Ex eisdem tamen aut præclaros profluxisse Artifices, & cum veteribus illis conferendos, aut diu post eosdem, artes perdurasse nullus arbitror. Ita siquidem in Satyrico Petronius: *Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque Juvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere adflavit, simulque corrupta Eloquentiæ regula stetit & obmutuit. Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? ac ne carmen quidem sani coloris enituit: sed omnia quasi eodem cibo pasta, non potuerunt usque ad senectutem canescere. Pictura quoque non alium exitum fecit, postquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit.* Et infra idem Auctor: *Erectus his sermonibus, consulere prudentiorem cœpi ætates Tabularum, & quædam argumenta mihi obscura, simulque causam desidiæ præsentis excutere: cur pulcherrimæ artes periissent, inter quas Pictura nc minimum quidem sui vestigium reliquisset. Tum ille, pecuniæ, inquit, cupiditas hæc tropica instituit. Priscis enim temporibus, cum nuda adhuc virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum Sæculis diu lateret. Lysippum Statuæ unius lineamentis inhærentem inopia extinxit: & Myron, qui pene hominum animas ferarumque ære comprehenderat, non invenit hæredem. At nos vino scortisque demersi partas quidem artes audemus cognoscere; sed Accusatores Antiquitatis, vitia tantum docemus & scimus. Nolito ergo mirari, si Pictura defecit, cum omnibus Diis hominibusque formosior videatur massa auri,*

ri, quam quidquid Apelles Phidiasque Græculi delirantes fecerunt. Adeo breviſſima temporis periodo, vel apud Græcos, uti ceterarum Artium, ita ſereni Picturæ dies viguerunt.

Quin & illud mirum minime eſſe debet, pauciſſimum, præ numero Statuarum feliciſſimis illis etiam temporibus effictarum, numerum fuiſſe Imaginum illarum, quæ peritiſſimis a Pictoribus fuerunt efformatæ. Quippe tametſi optime differat Vir Cl. Jacobus Belgradus Epiſtola II. ad præſtantiſſimum Marchionem Maffejum, *de Herculanio*; quum adſerit, Pictoriam & Statuariam inter ſe ita ſimiles eſſe, & arcto neceſſitudinis vinculo invicem junctas, ut uno eodemque partu editæ omnino videantur; ambas naturam ſibi imitandam proponere, ambas corporum lineamenta, ſtatum, & figuram exprimere & referre; ambas denique iisdem fatis ſecundis vel adverſis perpetuo uſas fuiſſe, nec umquam altera jacente & ingloria, alteram floruiſſe; eſto, inquam, hæc veriſſima eſſe fateamur; id verum tamen, quod ad graphicæ ipſius naturam artis ſpectat, non quod ad numerum pertinet Artificum; animadverti ſiquidem in copioſiſſimo Indice, quem ſuis *de Pictura Veterum* Libris adjecit Franciſcus Junius, & in quo præſtantiores omnes recenſentur Antiquitatis Viri, qui graphica in arte excelluere, animadverti, inquam, uno pro Pictore, triginta plus minus numerari Artifices alios, Sculptores nempe, Scalptores, Fabros, Plaſtas, aliosque ejus generis; certiſſimum exigui Pictorum numeri indicium. Accedit, brevi illa, qua adeo Pictura floruit ætate, niſi elaboratiſſima Opera in pretio habita fuiſſe, quæſita, empta, memorata; irriſoſque illos qui maxime non excellebant; fuit enim ſemper ex eorum genere Pictura, in quibus mediocritas ferenda non eſt. *Apelles Pictor*, inquit Clemens Alexandrinus, Lib. II. Pædagog. Cap. 2. *Apelles*, inquam, *Pictor*, *quum vidiſſet quendam ex ſuis Diſcipulis pinxiſſe Helenam multo auro ornatam: O Adoleſcens, inquit, quum non poſſes pingere pulchram, feciſti divitem*. Ἀπελλῆς ὁ ζωγράφος, θεασάμενος τινὰ τῶν μαθηθῶν Ἑλένην ὀνόματι πολύχρυσον γράψαντα· Ὦ μειράκιον, εἶπεν, μὴ δυνάμενος γράψαι καλὴν, πλουσίαν πεποιήκας. Zeuxin autem ſpectatum Helenam a ſe pictam, non temere, aut quemlibet, & ut Græci dicunt, ὡς ἔτυχε, ſpectatum admiſiſſe, ni ῥητὸν ἀργύρειον propoſitam pecuniæ quantitatem erogaſſet, & notum ſatis arbitror, & monet Cælius Rhodiginus, *Libro Antiquarum Lectionum X. Cap. 67.* Ceterum nil famæ & nomini cum Operum tum Artificum præſtantiorum omni obſuit tempore, quam iniqua, ut dicitur ſors, & adverſa fortuna. Vitruvius id, in re qua de agimus, aperte explicat, Præfatione in ſuum de Architectura Librum III. ſcribens: *Maxime autem id animadvertere poſſumus ab antiquis Statuariis & Pictoribus, quod, ex his, qui dignitatis notas & commendationis gratiam habue-*

habuerunt, æterna memoria ad Posteritatem sunt permanentes, uti Myron, Polycletus, Phidias, Lysippus, ceterique, qui nobilitatem ex arte sunt consecuti. Namque ut Civitatibus magnis, aut Regibus, aut Civibus nobilibus Opera fecerunt: ita id sunt adepti. At qui non minori studio & ingenio solertiaque fuerunt, ignobilibus & humili fortuna Civibus non minus egregia fecerunt Opera, nullam memoriam sunt assecuti, quod hi non ab industria, neque artis solertia, sed a felicitate fuerunt deserti; ut Hellas Atheniensis, Chion Corinthius, Myagrus Phocæus, Pharax Ephesius, Bedas Byzantius, etiamque alii plures. Non minus item Pictores, uti Aristomenes Thasius, Polycles Adramytenus, Nicomachus, ceterique, quos neque industria, neque artis studium, neque solertia defecit; sed aut rei familiaris exiguitas, aut imbecillitas fortunæ, seu in ambitione certationis contrariorum superatio, obstitit eorum dignitati. Semper autem solis de Græcis sermo est; apud Romanos siquidem exiguus pingendi arti honos fuit; ut mirandum non sit, ait Gerardus Johannes Vossius, *de IV. Artibus popularibus Cap. V.* si paucissimi eam exercuerint; etsi tandem Picturas excellentium Artificum magno in pretio habuerint. Quis miretur igitur non admodum multas Deorum cultas Tabulas ab Scriptoribus recenseri singulatim? an non satis erit generale, ut ita loquar, de Tabularum cultu, cnm veterum Sanctorum Patrum, tum veterum Gentilium Scriptorum testimonium?

Minore jure ex hodierna inopia, imo etiam carentia cultarum olim Tabularum quis inferret non fuisse easdem ab Ethnicis adoratas, aut nullas ejusmodi fuisse. Sequeretur enim inde, nullas aut paucissimas, fuisse etiam profanas olim Tabulas, & Picturas, quum tam paucas hodie earumdem habeamus; quæ consequutio tamen cum certissimis infinitis veterum Scriptorum pugnaret testimoniis. Nam si edacitate temporis tot eburnea, marmorea, ærea consumpta sunt antiqua monumenta, quid Picturis accidere non oportebat? Ausonius in sua *Mosella*, sive *Idyllio X*; quo magis locorum illorum ornamenta & celebritatem extolleret, hæc etiam habet:

Forsan & insignes hominumque operumque labores
Hic habuit decimo celebrata Volumina Marci
Hebdomas. hic clari viguere Menecratis artes,
Atque Ephesi spectata manus: vel in arce Minervæ
Ictinus; magico cui Noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres, perimitque tuendo.
Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares: quadro cui in fastigia cono
Surgit, & ipsa suas consumit Pyramis umbras.
Has ergo, aut horum similes est credere dignum

Belgarum in terris scenas posuisse domorum;
Mollitos celsas fluvii decoramina Villas.

Ausonium autem nimis hyperbolice heic luxuriatum esse negat in Notis ad hunc locum Freherus; habuisse siquidem subdit, Mosellam & Belgium suos quondam Artifices eximios, nihilo pene Græcis inferiores, quod ex turrita confirmat reliqua adhuc mole, quam describit; quare ex Lipsio consequatur: *Id vero tam ambitiosum & sumptuosum Mausolæum cum ab hominibus privatis & obscuris statutum fuerit, quid a Proceribus, Veteranis, Nobilibus fieri potuerit, non est difficile existimare.* Tantarum autem rerum nulla nunc aut reliqua est, aut reliquam habet in Veterum Elucubrationibus memoriam. Conjectationibus modo ferimur & rerum conjectarum imaginibus. Speciales vero causæ adferri in medium possunt cur immani veterum Picturarum inopia in præsens laboremus; ut enim scribit allegata in Epistola laudatus Jacobus Belgradus: *Plerosque labores suos, Pictores veteres credere Tabulis consueverant, in quibus vetustas cariem gignit, & interitum tandem affert: propterea mirandum minime est, cur hac ætate picta Grajorum Tabulæ nullæ extent, quæ edacem vetustatem fefellerint: casus etiam innumeri, qui Grajorum Imperium atque Urbes delevere, iisdem Tabulis fuere fatales. His accedit imperitorum hominum inscitia, fato ipso aliquando nocentior, qui quum nihil faciant ea quæ ignorant, vel ultro oblata, vel casu inventa dimittunt, ac perdunt. Illud etiam attendas velim, Picturas Veterum præstantissimas præ mediocribus ac vulgaribus fuisse paucas. Quis enim nescit, humana omnia ita esse comparata, ut paucis excellentia, pluribus mediocritas insit? Verosimilius proinde est in communi fermo Picturarum interitu mediocres quam præstantes superfuisse. Næ illi sane id probe norunt, qui conjectandi arte vel mediocriter versati sunt. Quare tametsi vel nulla excellens Pictura extaret, non idcirco minus præclare de Graiis Pictoribus sentiendum esset.* Nempe animum intendit Vir doctissimus ad Tabulas e laryce præsertim femina plerumque olim constantes, quæ antea creta dealbabantur; ad usum pingendi in linteis, plurimum Veteribus ignotum; ad morem quo udo tectorio, sive albario & recenti colores inducere soliti erant Pictores veteres, eos aqua & glutino, non vero oleo diluentes; quod recens modo inventum Seculi quintidecimi.

Ceterum, maximum excidium ab incendiis & Barbarorum irruptionibus, abque Christianorum odio in sacras Gentilium Tabulas videtur omnino repetendum. Hæc nobis scilicet tot Græcorum Latinorumque Opera, tot Vatum, Oratorum, Historicorum, & Philosophorum Scripta eripuere. Tacitus, Libro Annalium XV. de Romano olim, sub Nerone, incendio scribit: *Domuum & Insularum, & Templorum quæ amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit: sed vetustissima Re-*

ligio-

ligione, quod Servius Tullius Lunæ; & Magna Ara, fanumque, quæ præsenti Herculi Aras Evander sacraverat; Ædesque Statoris Jovis vota Romulo, Numæque Regia, & Delubrum Vestæ cum Penatibus Populi Romani exusta. Jam opes tot Victoriis quæsitæ, & Græcarum artium decora, exin monumenta ingeniorum antiqua & incorrupta. Quid tot aliis in exustionibus, eluvionibus, bellisque, in tanta obscurorum temporum iniquitate, & inscitia, in tanta temporum elongatione, millesimo a fugatis prorsus ad Litteras renatas anno oportuit contigisse? Deorum sane reliquas nunc nonnullas Statuas, cetera uti antiqua Sigilla & simulacra, non sine fortunæ beneficio eruderavimus, exque ruinis effodimus Ædificiorum, sub quibus sepulta jacuerant tot annis, quod Statuas & Simulacra deturbare tantum, suoque dejicere e loco, suis a sedibus evellere soliti fortasse erant, sive studio veræ Religionis Christiani, sive Barbari furore. Ast pictas superstitionis & Idololatriæ Tabulas quam facile magis fuerit rescindere, comburere, delere, milleque modis in nihilum redigere? Quam aperte id innuit, imo ait Divus Cyrillus Alexandrinus, Libro contra Julianum VII. ubi scribit: Επειδὴ δὲ τοῖς ἰδίοις ἐποκομπάζει θεοῖς καὶ αὐτῶν ἔργον γενέσθαι φησὶ τὸ καὶ ἰσχύος εἰς τοῦτο, καὶ μὴν καὶ εὐκλείας διελάσαι τοὺς ὠνομασμένους μάλιστα μὲν πανταχόθεν αὐτῷ ἀνεπικούρητον ἀῤῥωστήσειεν ἂν ὁ λόγος· οὐ γὰρ ἂν ἔχῃ δεῖξαι διὰ πραγμάτων. κ.τ.λ. *Quoniam autem in Diis suis* (Julianus) *gloriatur, & illorum opus fuisse dicit, quod nobiles illi* (Alexander, & Cæsar) *in hanc virutem & gloriam pervenerunt, sermo ejus omnibus modis languet, & subsidio caret; re enim ipsa nihil ostendere potest: sed vaniloquum se esse bene declarat hoc, quod seipsos juvare Dii nequiverint, Delubris discerptis, altaribus dirutis, sacrificio omni sublato, & Imaginibus exustis, & ipsis, omnibus modis, per Universum contemptis*. Vides heic de cultu Ethnico verba fieri, deque Imaginibus cultis loqui, de Imaginibus, inquam, *exustis*. Quæ autem Imagines comburi poterant, nisi ligneis in Tabulis, aut in linteis, coloribus expressæ, aut textura efformatæ? Quod tametsi hominum nullus fecisset, præstitissent adhuc tamen caries, situs, aut innumeri & prope infiniti eventus, quos mediocriter etiam prudens imaginari suapte vi potest.

CAPUT

CAPUT X.

Deorum de Imaginibus opere textorio & anaglyptico apud Ethnicos impressis, iisdemque idololatrico cultu consecratis.

AD Picturam, hoc agentes de argumento, texturæ Opera possumus referre, quæ, ob similitudinem, pingi etiam dicuntur, ut in celebri Palladem inter & Arachnem texendi certamine, Libro Metamorphoseon VI. Ovidius canit:

Sive levi teretem versabat pollice fusum;
Seu pingebat acu, scires a Pallade doctum.

Et mox de Pallade:

Cecropia Pallas scopulum Mavortis in Arce
Pingit - - - - - -
Pingit & Antigonem ausam contendere quondam
Cum magni Consorte Jovis; - - - -

Quæ tamen omnia, textura expressa indicat egregius Vates. Celeberrima sunt apud Veteres textilia Opera in pallis præsertim & peplis Dearum memorata, & frequentissimus apud eosdem Imaginum Deorum textorio opere expressorum usus, Statius Libro Thebaidos X.

Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat calathis, castæ velamina Divæ,
Haud spernenda ferunt. Variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.
Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis
Expers connubii, & timide positura Sororem
Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex, & nondum furtis offensa mariti.

Jam vero, tametsi Velamenta Statuarum sæpenumero ejusmodi Pepli essent, aliquando tamen, Tabulam instar, colendos exhibebant Deos, in Templis suspendebantur, & religiose circumferebantur, ut Imagines in eisdem expressæ adorarentur. Socratem inducit Plato in Eutyphrone ita loquentem: *Existimas ne revera bellum, gravesque simultates & pugnas inter Deos existere, & alia ejusmodi, quæ a Poetis commemorantur; a bonis vero Pictoribus cum apud nos Fana variegantur, tum vero magnis Panathenæis eximium illud tapete rerum hujusmodi emblematis varie refertum sublimi e loco explicatum in arce? Illa ne vera esse statuemus Eutyphro?* Καὶ πόλεμον ἄρα ἡγῇ σὺ εἶναι τῷ ὄντι ἐν τοῖς Θεοῖν πρὸς ἀλλήλους καὶ ἔχρας δεινὰς καὶ μάχας, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, οἷα λέγεται ὑπὸ τῶν ποιητῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γραφέων τάτε ἄλλα

ἱερὰ

ἱερὰ ἡμῖν καταπεποίκιλται, καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν· Ταῦτα ἀληθῆ φῶμεν εἶναι ὦ Εὐθύφρον; Ad textam Minervæ pallam adludit Plato, quam Athenienses, quinto quoque anno, circumferebant in Panathenaicis, uti legere est apud Suidam ad vocem Πέπλος: Sic scribentem: *ἰδίως παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις· πέπλος τὸ ἄρμενον τῆς παναθηναϊκῆς νεώς· ὃν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ διὰ τετραετηρίας, ἧς καὶ τὴν πομπὴν διὰ τοῦ κεραμεικοῦ ἐποίουν μέχρι τοῦ ἐλευσινίου· πέπλον δὲ τοῦτο ἐκάλουν διὰ τὸ ἐρεοῦν αὐτὸν εἶναι· ἐνεγέγραπτο δὲ ἐν αὐτῷ ὁ ἐγκέλαδος ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ. ἦν δὲ γιγάντων εἷς ἢ ὅτι νικήσαντες οἱ Ἀθηναῖοι πέπλον ἐποίησαν τῇ Ἀθηνᾷ· καὶ ἐνέγραψαν τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ;* inde canit egregie Virgilius, Ciri, v. 28.

Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ;
Magna Gyganteis ornantur pepla trophæis;
Horrida sanguineo pinguntur prælia cocco,
Additur aurata dejectus cuspide Typho,
Qui prius Ossæis consternens æthera saxis,
Hematio cælum duplicabat vertice Olympum.
Tale Deæ velum solemni in tempore portant.

Quam belle cum descriptione tapetis a Platone facta, hæc Pepli Virgiliana convenit! Cuicumque jam vero notum satis arbitror, ad Religionem præcipue spectasse ejusmodi apud Ethnicos solemnes pompas, quibus Deorum Imagines deferebantur. Inducuntur ab Athanasio, *in Oratione contra Gentes*, se se excusantes Ethnici, si Deorum Imagines foverent, *ἵνα διὰ τούτων τὸ θεῖον αὐτοῖς ἀποκρίνεται, καὶ φαίνηται, οὐκ ἄλλως γὰρ αὐτὸν τὸν ἀόρατον δυνάστα γνῶναι, ἢ διὰ τούτων ἀγαλμάτων, καὶ τελετῶν; quod illarum modo ope Divinitatis ideam aliquam efformare sibi possent; neque enim quod invisibile est nosse eosdem potuisse, nisi mediis ejusmodi Imaginibus & pompis.* Heinc Ovidius Libro Metamorphoseon X.

. . . . *celebrandaque more priorum*
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.

Uno verbo, textiles illas Deorum Imagines dum in pompis circumferebant Ethnici, uti Bacchi pictas, quas Capite memoravimus hujus Elucubrationis V. suam erga easdem satis ostendebant Religionem.

Ne quis vero sibi persuadeat, Peplos illos non alia fuisse de caussa in pompis circumgestatos, quam quod Dearum Simulacris ita offerrentur, ut innuere videtur Maro, Libro Æneidos I.

Interea ad Templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, Peplumque ferebant
Suppliciter tristes, & tonsæ pectora palmis,

in quibus ad Pallam, sive ad Peplum adludit Vates, a Thene Antenoris

noris uxore Palladi oblatum ; ast Pallæ adhuc tamen , textaque tapetia, ita apud veteres recensentur Scriptores in pompis circumlata, ut omnis cultus ad illa, relatus esse videatur, ceu Ethnici in Peplis, uti in consecratis Simulacris , colendos ita exhiberent Deos . Theocritus revera Idyllio XV. spectaculum pompæ describens Alexandriæ celebratum ab Arsinoe Ptolemæi Philadelphi uxore , in qua textilis Minervæ Imago religiose circumgestabatur , ita mulieres spectantes pompam loquentes inducit:

Gorgo.

Praxinoe huc ades, hæc textilia primum specta,
Quam ex tenui filo sunt, & venusta; Deorum opera esse dixeris.

Γοργώ.

Πραξινοά, ποταγ' ὧδε. Τα ποικίλα πρᾶτον ἄθρησον,
Λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα· Θεῶν περονάματα φασεῖς.

Praxinoe:

Veneranda Minerva, quales lanificæ illæ elaborarunt?
Quales Pictores tam exactas Picturas pinxerunt?
Quam evidenter adstant, quamque evidenter moventur!
Animata sunt, non textilia: sapiens quædam res est homo.
Ipse vero quam admirandus in argenteo jacet
Toro, primam lanuginem circa tempora spargens
Multipliciter amabilis Adonis, qui etiam apud inferos amatur.

Πραξινόη·

Πότνι' Ἀθηναία, ποῖαί σφ' ἐπόνασαν ἔριθοι;
Ποῖοι Ζωογράφοι τἀκριβέα γράμματ' ἔγραψαν;
Ὡς ἔτυμ' ἑστήκαντι, καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι,
Ἔμψυχ' οὐκ ἐνυφαντά· σοφόν τι χρῆμ' ὤνθρωπος·
Αὐτὸς δ' ὡς θαητὸς ἐπ' ἀργυρέω κατάκειται
Κλισμῷ πρᾶτον ἴυλον ἀπὸ κροτάφων καταβάλλων
Ὁ τριφίλατος Ἄδωνις, ὃκην Ἀχέροντι φιλεῖται.

Circumgestatam tunc fuisse textilem illam Imaginem Minervæ sane ostendunt versus qui subjiciuntur . Videtur siquidem ad mare pompa jam pervenisse , more Alexandrinorum , qui Deorum Imagines eo ferre consueverant; itaque dum ita garriunt mulieres, animadvertunt jam incipi cantica in honorem Deæ, quare ita fatur Gorgo:

Tace Praxinoe, jam de Adonide cantabit
Argivæ filia, sapiens Poetria &c.

Σίγα Πραξινόα, μέλλει τὸν Ἄδωνιν ἀείδειν
Ἁ τῆς Ἀργείας θυγάτηρ, πολύϊδρις ἀοιδός.

Quæ revera canere apud Theocritum pergit statim Deorum laudes , in quibus revera præcipuus erat pompæ cultus . Non igitur Ethnicos textiles coluisse Imagines dubitabimus , quum & in pompis eas

reli-

religiose circumferrent ; & coram illis ; uti coram Statuis, Deorum laudes celebrarent.

Nec id Alexandrina modo in Urbe, sed Athenis quoque factum. Copiose narrant Athenæus, & Plutarchus qua impudentia, ob liberatam ab Antigono & Demetrio Græciam, divinos omnino honores eisdem tribuerint Athenienses. Ut igitur ex priore, Libro Deipnosophistarum XII. intelligimus, *quum Athenis Demetria festa celebrarentur* (Bacchanalia scilicet, in honorem Demetrii, Demetria appellavere) *eum Athenienses pinxisse Orbi terrarum insidentem* ; γινομένων δὲ τῶν Δημητρίων Α᾽θήνησιν, ἐγράφετο ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὀχούμενος ; ita ex Plutarcho in Demetrii Vita discimus, Athenienses Demetrium & Antigonum, *non modo Deos Servatores, & Præsulem Atheniensem, Servatorum Sacerdotem vocari jussisse ; sed & in eo loco, ubi primum e curru descendit Demetrius, sacrificiis peractis, aram locavisse, quam ejus aram appellari voluerunt ; unaque decrevisse, ut Antigonus & Demetrius in Peplo, una cum Jove & Pallade intexerentur.* ἐνυφαίνεσθαι δὲ τῷ πέπλῳ, μετὰ τῶν θεῶν αὐτοὺς ἐψηφίσαντο. Quibus alia addit Plutarchus, summam per assentationem, ceu veros colerent Deos, ab Atheniensibus in Antigoni & Demetrii honorem perpetrata, & tandem subdit: Ε᾽πεσήμαινε δὲ τοῖς πλείστοις τὸ θεῖον· ὁ μὲν γὰρ πέπλος, ὥσπερ ἐψηφίσαντο μετὰ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Α᾽θηνᾶς προσενυφαινομένων Δημήτριον καὶ Α᾽ντίγονον πεμπόμενος διὰ τοῦ κεραμεικοῦ μέσος ἐῤῥάγη θυέλλης ἐμπεσούσης. κ. τ. λ. *Verum extemplo, post hæc, hi casus sequuti sunt, quibus obstupuerunt omnes, quum non forte, sed divino quodam Numine evenisse viderentur. Peplum enim, in quo Demetrius & Antigonus simul erant contexti, quum per Ceramicum mitteretur, ingenti superveniente procella, medium scissum ferunt, & eo die, quo Demetria celebrabantur, omnem pompam dissipatam, pessumdatamque fuisse. Quare Philippides, quum inimicus esset Stratoclis* (qui honores illi ut Regibus decernerentur Auctor fuerat) *hæc adversus illum in Comœdia protulit :*

Per quem scissum in medio Peplum est,
Honores divinos mortalibus tribuentem,
Hæc Populum corrumpunt, non Comœdia.

Si igitur notati heic Athenienses, quod mediis etiam textilibus divinos honores vivis hominibus tribuissent, consequens profecto est, receptissimum apud Ethnicos fuisse textis quoque in Imaginibus suos Deos adorare.

Quoniam vero recentioribus Græcis in usu est plana mediaque Sculptura, quod eadem ad Picturam propius accedit ; quare Anaglypha venerari fas esse statuunt, secus Simulacra, & integras Sanctorum Statuas, quod hæc Ethnicismum nimis redolere, eorum opinione, videantur ; age inquiramus, an Anaglypha, haud minus quam Signa &

Simulacra in sacris moribus fuerint Gentilium; anve ea de caussa ab Ethnicis adeo diffidere Adversarii nostri dici possint. Dubitandum jam vero minime est, Ethnicos Effigies coluisse anaglyptico opere expressas, suorumque Imagines Deorum Sculptura non admodum protuberante repræsentatas. Animadvertit Grotius, ad Caput Levitici XXIV; ubi illa: *Non facietis vobis Idolum, & Sculptile, nec titulos erigetis*, אבן משכית *nec insignem lapidem ponetis in terra, ut adoretis eum*; animadvertit, inquam, optimos Interpretes verba אבן משכית vertisse *lapidem pictum*. Quin & ad cippos stelasque ab antiquissimis, in vita functorum Heroum honorem positas, lapides illos esse referendos ait Seldenus, *Capite III. Prolegomenon ad Syntagma de Diis Syris*; quare in Additamentis ad illud Jacobus Beyerus, stelam, sive columellam super Rachelis sepulchro erectam, ex Geneseos XXXV. 10. eruit, quam ostendit *depictam* Cotovius *Lib. II. Itin. Cap.* 10. Ceterum ejusmodi columellas, aliquando depictas, aliquando vero sculptas anaglyptico fuisse opere docet Vir Cl. Petavius, *Libro XV. de Incarnatione*, *Cap. XIV.* ubi ostendit στήλην columellam, vel cippum fuisse nonnumquam ad humani capitis figuram effigiatum, ut Hermæ, & Mercurii Viales; nudam interdum etiam columellam, aut Stativum, *cui appicta, vel appensa esset Imago picta*. In Adnotationibus autem in Præfationem Epiphanii ad Panarium, in concordiam redigens idem Petavius Eusebium in Chronico docentem primum culta fuisse Simulacra, cum Epiphanio contendente, primum cultas fuisse Deorum atque hominum Picturas; arbitratur Simulacra quidem affabre facta, & cælaturis effigiata, primo illo tempore haud exstitisse, sed columellas solum, ea præsertim de caussa, quod Eusebius ipse ἀνδριάντας στηλῶν veteres illas Statuas appellet. Lapides autem illos ungere solebant vetustiores non solum Ethnici, verum etiam recentiores, deinde & adorare, quod ex Theophrasto constat Ethicis in Characteribus, Cap. XVII. nonneminem ibi recensente, *qui lapides unctos in triviis existentes, oleo & ampulla perfundere solebat; nec prius discedere inde, quam posito genu eos fuisset veneratus*. καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν· καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν, καὶ προσκυνήσας, ἀπαλλάττεσθαι. Apulejus autem, *Libro Floridorum I.* inter aras floribus redimitas, speluncasque frondibus inumbratas, inter quercus cornibus oneratas, fagosque pellibus coronatas, & colliculos sepimine consecratos, cespitesque humigatos libamine (quæ omnia Objectum superstitiosi erant cultus) recenset æque *lapidem unguine delibutum, & truncum dolamine effigiatum*. Quibus & utitur verbis Minucius Felix in Octavio scribens: *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos sane, & unctos, & coronatos*. Nos in præsens vero de effigiatis ejus-

modi

modi lapidibus verba faciemus, sive de mediis sculpturis in lapide lignoque, pro Religiosis Ethnicorum moribus, olim usu habitis, quo ipsos suorum Imagines Deorum anaglyptico expressas opere coluisse evincamus.

Et primum quidem, mediam ejusmodi Sculpturam locum habuisse in tumulis sive cippis & columellis Ethnicorum animadvertit Johannes Philippus Pfeifferus, *Libro Antiquitatum Græcarum Gentilium IV. Cap. 56.* illorum siquidem in Monumentis Epitaphia non modo & coronas fuisse collocatas, veteribus ex Scriptoribus animadvertit; sed Imagines quoque Heroum insculptas, uti ex Luciano probat in Necromantia, his verbis: *Isti, qui magnificos altosque tumulos habent super terram, & columnas, & Imagines, & titulos, nihilone sunt apud Inferos plebeiis quibuslibet umbris honoratiores?* Οἱ δὲ τὰς πολυτελεῖς τέτες ὑψηλὰς τάφες ἔχοντες ὑπὲρ γῆς καὶ στήλας, καὶ εἰκόνας, καὶ ἐπιγράμματα, ἐδὲν τιμιώτεροι παρ᾽ αὐτοῖς εἰσι τῶν ἰδιώτων νεκρῶν; Insculptas, inquam, fuisse ejusmodi Imagines, ex Diogene inde Laertio ostendit, Libro VI. Has autem Columnas, Stelas, sepulcrales Cippos, insculptasque in eisdem Heroum Effigies, velut Numina cultas fuisse, pluribus ostendit Elias Schedius, *Syngrammate III. de Diis Germanorum. Cap. I.* Ceterum nec Schedius, nec Pfeifferus apertissimum exscripsere locum Luciani, ita in Scytha, de Toxari loquentis: *Hic nusquam ad Scythas rediit, sed Athenis diem obiit. Nec multo post, & Heros est habitus, & ipsi hostias immolant, sub nomine Peregrini Medici, nam hoc nomen Heros factus insuper adeptus est.* ἔτος ὁ Τόξαρις, ἐδὺ ἀπῆλθεν ἔτι ὀπίζω ὀς Σκύθας, ἀλλ᾽ Ἀθήνησιν ἀπέθανε· καὶ μετ᾽ ἐ πολλύ, καὶ Ἥρως ἔδοξε· καὶ ἐντέμνεσιν αὐτῷ ξένῳ Ἰατρῷ οἱ Ἀθηναῖοι. τἔτο γαρ τἔνομα, ἥρως γενόμενος, ἐπεκτήσατο. Pergit inde, narratque Lucianus, quonam pacto hospes ille Athenas vino a pestilentia liberasset; quare Athenienses post mortem, *illum, licet Scytham, Deum fecerint;* ἀλλα καὶ Ἀθηναίοις ἐξεῖναι θεοποιεῖν Σκύθαι, tandemque hisce prosequitur: *Itaque curationis merces illi nunc etiam persolvitur, videlicet albus equus, qui ad ejus monumentum immolatur: quare accedentem illum, Dimænete ostendit illa de vino mandata dedisse. Atque ibi inventus est Toxaris sepultus, ipsaque inscriptione cognitus, quamquam integra non apparebat. In primis vero quod in Columna Schytico Vir ornatu insculptus erat, læva intensum arcum tenens, dextra Librum, ut videbatur. Et etiamnum præter ejus dimidium & arcum totum, & Librum videas: reliquum vero Columnæ, & faciem, temporis longinquitas jam labefactavit.* ὁ δ᾽ ἐν μισθὸς τ᾽ ἰάσεως, ἔτι καὶ νῦν ἀποδίδοται αὐτῷ λευκὸς ἵππος καταδυόμενος ἐπὶ τῷ μνήματι· ὅθεν ἔδειξεν ἡ Δειμαινέτη, προσελθόντα αὐτὸν, ἐντειλάσθαι ἐκεῖνα τὰ περὶ οἴνυ· καὶ εὑρέθη κεῖθι ὁ Τόξαρις τεθαμμένος, τῇ τε ἐπιγραφῇ γνωσθεὶς, εἰ καὶ μὴ ὅλα

λιστα ὅτι ἐπὶ στήλῃ Σκύθης ἀνὴρ ἐγκεκόλαπτο, τῇ δεξιᾷ δὲ βιβλίον ὡς ἐδόκει· ἔτι καὶ νῦν ἴδοις ἂν αὐτοῦ ὑπὲρ ἥμισυ, καὶ τὸ τόξον ὅλον, καὶ τὸ πρόσωπον, ὁ χρόνος ἐλυμήνατο τοῦ. Philoſtratus autem in Vita Apollonii, de Oxydracis loquens, hæc habet: *Poſiti ſunt Oxydracæ Hypaſidem inter & Gangem, quam in partem numquam venit Alexander, nihil ſane timens, quod in illa regione eſſet; ſed, utputo, reverentia Sacrorum prohibitus eſt. Sciebat enim Hypaſidem fluvium tranſiri, & campos Urbi adjacentes facile capi poſſe: Urbem vero, quam illi habitant, nec ſi quis mille Achilles, & ter mille Ajaces ſecum duxerit, capere unquam poſſet. Nec tamen ipſi in aciem prodeuntes dimicant, ſed tonitruis fulminibusque ab Jove miſſis hoſtes propulſant, quum ſacroſancti & amici Deorum habeantur. Attamen Ægyptium Herculem & Bacchum, qui cum Exercitibus Indiam luſtrarunt, adverſum ipſos communi conſilio militaſſe perhibent, omnifariam generis machinas ſecum ferentes, occupatisque agris ad Urbem acceſſiſſe. Cives autem nihil contra molientes quieti permanebant, ſed quum hoſtes jam Urbi appropinquarent, repente tonitrua fulguraque de cælo frequenter miſſa armatos jam fugere compulerunt. Ubi autem Clypeum abjeciſſe Herculem ferunt, quem Sapientes illi Religionis cauſſa in Templo erexere, tum in honorem ipſius Herculis, tum ob ipſius etiam Clypei pulchritudinem; in ipſo enim Hercules inſculptus erat, terminos terræ penes Gades collocans, & montibus quaſi Columnis conſtitutis Oceanum excludens.* τὴν δὲ ἀσπίδα χρυσῆν οὖσαν ἀποβαλεῖν ἐκεῖ λέγεται ὁ Ηρακλῆς. καὶ πεποίηνται αὐτὴν ἀνάθημα οἱ σοφοί, διά τε τὴν τοῦ Ηρακλέους δόξαν, διά τε τὸ ἐκτύπωμα τῆς ἀσπίδος· αὐτὸς γὰρ πεποίηται ὁ Ηρακλῆς ὁρίζων τὰ Γάδειρα, καὶ τὰ ὄρη στήλας ποιούμενος, τὸν δὲ Ωκεανὸν ἐς τὸ ἔξω ἐπισπώμενος. Huc autem ſunt ea referenda, quæ Capite Diſſertationis hujus VIII. de Imaginibus diximus clypeatis, vel de Clypeis, in quibus pictura, aut Sculptura plana erant Imagines expreſſæ, quaſque modulato carmine & ſacris in pompis Ethnici circumferebant. Non repetemus vero heic quæ de Ægyptiis jam dicta ſunt, Hieroglyphica certe ſua, quæ vice ſacrarum Imaginum colebant, aut pingentibus, aut etiam ſculpentibus. Syneſius in Calvitii Encomio, hæc de inſculptis ejusmodi figuris. *Apud Ægyptios Prophetæ vilium & profanarum rerum Artificibus minime permittunt Deorum formare Simulacra, ne ſcilicet in opere transgrederentur. Sed Accipitrum & Ibidum roſtris, quæ in Veſtibulis Fanorum inſculpunt, plebem deludunt. Ipſi in ſacra deſcendunt antra, ubi ſecreto rem peragunt.* Παρὰ Αἰγυπτίοις τὰ προφητικὰ γένη βαναύσοις μὲν καὶ χειρώναξιν οὐκ ἐπιτρέπουσι δημιουργεῖν εἴδη θεῶν, ἵνα μή τι τοιοῦτο παρανομήσωσιν, ἀλλὰ τοῖς μὲν ῥάμφεσι τῶν ἱεράκων, καὶ τῶν ἴβεων, ἃ τοῖς προτεμενίσμασιν ἐγκολάπτουσι, καταμωκῶνται τοῦ δήμου. Αὐτοὶ δὲ καταδύντες εἰς τοὺς ἱεροὺς χηραμοὺς ἅπτ' ἂν ἀπεργάσωνται περιστέλλουσι. Neque in marmore

tan-

tantum aut ære Imagines, illæ Heroum Deorumque, cultus caussa, insculpebantur, verum etiam in ligno, scilicet in Lucis, qui Antiquorum Templa, quod satis ostendit, ad illas videlicet adludens Statius, Libro Thebaidos IV.

Sylva capax ævi, validaque incurva senecta
Æternum intonsæ frondis stat pervia nullis
Solibus, haud illam brumæ minuere, Notusve
Jus habet, aut Getica Boreas impactus ab Ursa.
Subter opaca quies, vacuusque silentia servat
Horror, & exclusæ pallet mala lucis imago.
Nec caret umbra Deo. nemori Latonia cultrix
Additur. hanc piceæ, cedrique & robore in omni
Effictam, sanctis occultat Sylva tenebris.

Imagines Deæ in arboribus sculptas vult Statius denotare, uti Prudentius fortasse Deorum Imagines, qui Ξυραῖος, & ἀντύλιοι appellabantur, Portarum scilicet Custodes, sculptas ipsis in januis fuisse significare voluit allegatis illis superiore Capite carminibus,

\- - - - *Geniorum millia multa*
Fingere;

Ne idola repetam γεγραμμένα καὶ τετυπωμένα picta & insculpta, sive exsculpta a Platone memorata, & ἀγάλματα γλυπτὰ insculptas Deorum scilicet Imagines, de quibus Clemens Alexandrinus, uti diximus Cap. V. Dicitur enim Sculptura proprie de iis, in quibus figuræ exstant ectypæ, ut Quintilianus ait, *Libro Institutionum Oratoriarum III. Cap.* 21. Qua ea ratione, qua præclarissimi Scriptores Orthodoxi ex Imagine Crucis in domibus, portisque, & columnis antiquissimorum Christianorum sculpta, ejusdem cultum probe inferunt, ita & jure argumentari nos videmur adversus Græcos posse de cultu Imaginum Deorum anaglyptico opere expressarum. Gorius revera, Vir Cl. de Mitrato agens Christi Capite, ita fatur Cap. 6. *Ab ipsis Ecclesiæ primordiis arbitror Christianos adorabile Christi nomen æternæ salutis pignus, & singulare præsidium, non solum summa religione coluisse; verum etiam, ut divinis honoribus adficerent, Columnis impositum, in Tabulis, in sublime suspensis, in Sacris Ædibus, in earum fronte, in Capitulis Columnarum, atque in triumphalibus arcubus, & in ipso Salvatoris & Agni vertice erexisse, elevasse, atque ita exaltasse, quod observatione maxime dignum, nondum ab aliis elucidatum censui.* Numero autem ejusdem Capitis VI. antea scripserat idem Gorius: *Monogramma Christi admirabile, sublimi in loco adpensum, in eo Calice cernitur, medium inter duo sidera. Bonarrotius observat pictum esse in quadrata tabula. Illud etiam præterea observandum moneo, quod ipsum fugit oculatissimum Scriptorem: in utroque ejusdem Tabulæ latere, adnexos esse duos anulos, sive*

volu-

volutas, veluti catenulas, & si mavis etiam dicam, ansulas, quæ manifeste declarant sculptum, pictumque in tabulis, vel in clypeis, vel intra pretiosas coronas Sacrosanctum Christi monogramma in Cœmeteriis, in sacris synaxibus adtolli & suspendi consuevisse. Huic Picturæ vetustissimæ apud Bonarrotium, aliam fere similem adfert Boldettius, Part. I. Lib. I. Cap. 39. Tab. IX. Num. 38. *cum eodem Emblemate, in qua eadem Sacra Tabula in sublimi posita, & quidem utrinque ansatu exhibetur, in qua divinissimum Christi nomen ita pariter inter duas stellas pictum est. Perspicuum igitur est, quanta devotione, & reverentia cultuque hoc salutare Signum, ab ipsis Ecclesiæ cunabulis, divinis honoribus fuerit consecratum.* Ante illa omnia Capite V. Num. 10. idem Auctor: *Ne vero Basnagii adseclæ jactent nos vitrea tantum adferre monumenta, ut constet Christum Redemptorem Boni Pastoris Effigie expositum fuisse priscis Fidelibus, provocare etiam lubet ad pictas Imagines, ejusdem Boni Pastoris & Sanctorum, tum in pluribus Cubiculis Romæ subterraneæ, tum etiam in vetustissimo Prætextati Cœmeterio, cujus habitacula detecta anno MDCCXVIII. describit Cl. Marangonius in Appendice.* Quoniam autem in hoc versamur argumento, omittere heic nolo pulcherrimum Cyrilli Alexandrini locum, Libro adversus Julianum VI. ex quo mirifice nostra, nisi vehementer fallimur, confirmari videtur, de cultis apud Ethnicos pictis Deorum Imaginibus sententia. Dixerat jam vero Apostata Imperator: *Et o miseri homines,* (Christiani) *quum serventur arma, quæ magnus demisit Jupiter, hoc est Pater Martis, pignore dato, non verbo, sed re, quod Civitatem nostram perpetuo protecturus sit, cessatis adorare & colere; & interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte & ante domos pingentes.* Ad quæ sic regerit Cyrillus: *Preciosam Crucis Imaginem facimus, sed quoniam vituperatione id non carere censet Julianus, dicat ore, interrogabo etenim.* Βύλει τοῖς τῶν δωματίων ἐρκίοις ἐπικρατήσαντας πίνακας ἀριςόχειρα καλῶμεν ζωγράφον, εἶτα λέγωμεν αὐτῷ. τὰ τῶν μειρακίων ἐν ὥρᾳ σώματος σκοπὸς ἡμῖν ὦ ζωγράφε βύλεσθαι μαθεῖν ὡς ὀλέθρυ πρόξενον αὐτοῖς τὸ ἀκολαςαίνειν ἐςί. κ. τ. λ. *Vis congregantes Tabulas intra domus septa, optimum accersamus Pictorem, cui dicamus: Animus nobis est o Pictor velle docere formosos Pueros intemperantiam damnum ipsis afferre, volumusque suadere mulieribus, quæ in domo sunt, inhonestam vitam ipsis esse perniciosam: sed fortasse ipse sermo non sufficit, ut recte & inculpate vivere velint. Ponatur eis & ob oculos Pictura quædam adjuvans sermones docentium, pingaturque ante alios in Tabulis Jupiter Deorum summus: assideat autem, si placet, Phryx adolescentulus Ganymedes, honestus item illius & memorabilis ludus, intemperantisque libidinis indicium: pingatur autem & Alcumena, apud quam novem permansit noctes, qui & in fœdissimis satietatem non experiebatur. Stet etiam Semele, & omnis mulierum*

Cho-

Chorus. Videatur praeterea & Neptunus; assistentes habens, quas flagitiose vitiavit Amynonen, Ællopen, Hippothoen, & alias. Et etiam pingatur simul adolescens Lydius Pelops, inquam. Decoram Effigiem sumat in Tabulis subridere solita Venus, quae multos novit amatores. Fere me praeteriissent, o Pictor, redolentissima illa planta, Daphnem dico, & quae de illa celebrantur; pinge mihi Apollinem victum modestae puellae fragrantia, & fugiat quidem puella inquinamentum exosa, insectetur autem Apollo, etiamsi amantem non assequatur, coronetur ramis, ne lateat crimen. Vis igitur Vir strenue, ut lignum quod nos ad recordationem omnis virtutis inducit, abiiciamus, & relinquamus, puerisque & mulierculis tua proponamus? An forte repugnabunt Dii & Deae, ne a pueris & mulierculis, qui vident haec plane inutilia destruantur? An non ridicula sunt haec, & evidens summae stupiditatis demonstratio. Quam belle hæc, inquam, pictarum cultum Tabularum apud Gentiles evincunt! Colebant Christiani pictam Crucis Imaginem, quod certum & notum adeo, ut Imperator, qui Christianus fuerat, huncce illis cultum apertissime obiiceret. Quid ad illa Cyrillus? Confert picturam Crucis quam venerabantur nostri, cum Picturis quas Ethnici colebant, rogatque num Picturæ ejusmodi sint pictæ Cruci anteferendæ? Nonne exactam Ethnicarum vides Picturarum, ut ita dixerim, Picturam? Nonne earum rerum quas Religionis ergo, erectas ab Ethnicis dixerat Clemens Alexandrinus? Nonne illorum objectorum quæ ab oculis Mulierum & Adolescentum removenda præceperat Aristoteles, qui Patresfamilias modo eisdem sacrificia debere offerre contendebat? Verum ad Anaglypha revertimur.

Ut Christiani non pictam modo, verum etiam sculptam Crucis figuram columnis imponentes, inque Tabulis in sublime suspensis, in Ædium fronte, in arcubus denique, in Cubiculis subterraneis, inque Cœmeteriis erigentes, elevantes, exaltantes, Imaginem illam Crucis summa coluisse religione, & divinis honoribus eo pacto adfecisse existimantur; ita Ethnicos (quorum nos ritum imitari pie consecravimus) suorum Imagines Deorum in januis, domibus, thermis, ceterisque publicis & privatis in locis, vel media planaque Sculptura effingentes, vel textorio concinnatas opere circumgestantes, textilia & anaglypha coluisse sacra jure optimo arbitramur.

CAPUT

CAPUT XI.

Num veteres Græci aliquando Sculptilia coluerint ? anve ab eorum cultu iidem abhorruerint ? Cur vero Græci recentiores eundem Idololatriæ postulent ?

NON desunt qui in ea versantur opinione, Græcos scilicet, quinto sextoque Sæculis, Statuas quoque Christi Servatoris, Deiparæ, & Divorum, fuisse religiose veneratos: prudenti vero Œconomia, Iconoclastarum tempore, ne hosce magis irritarent, ab eisdem cœpisse abstinere; quo factum, ut erumpente demum Græcorum ab Ecclesia nostra Schismate, iidem, qui picturis tunc tantum sacro in cultu utebantur, quo majorem Latinis invidiam conciliarent, hos cultarum quoque Statuarum postulaverint. Et vero Cl. noster Jacobus Goarus, *in Notis ad Rituale Græcorum*, postquam de odio dixisset recentiorum Græcorum adversus Statuas, veteres Græcos tamen etiam Statuis, & per se stantibus Imaginibus, religiosum olim exhibuisse cultum colligit ex Paulo Diacono, Libro Histor. XXI. narrante, Judæum quendam Phœnicem, Leonis Isauri tempore; Gizid Arabum Principi suasisse, *ut venerabiles, quæ in Ecclesiis toto Principatu suo Imagines honorabantur, deponeret*; clarius autem sequenti in Libro, referente, *Constantinum Copronymum Imagines magni Secreti, quæ sculptæ erant in ligno deposuisse, & ceterarum Imaginum facies deliniviſſe*, hoc est, *delevisse*. Quibus ex testimoniis, Virum etiam doctissimum Johannem Lamium, vidimus, Capite hujus Commentarii primo, fuisse arbitratum Græcos aliquando & integre Sculpta fuisse veneratos. Extat vero vetus Canon Apostolorum in Antiochena quadam Synodo, ab illis, ut ferunt, editus qui de Imagine, imo, ut Interpres arbitratus est, de Statua Christi Domini decrevit: *Ut hi qui salvantur, circa Idola non errent; sed pro eis Dei virilem & manufactam Statuam veri Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi; ipsiusque Servorum, contra Idola & Judæos colant.* τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλ' ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων, καὶ Ἰουδαίων. Denique Mabillonius, *Præfatione in Sæculum IV. Ordinis S. Benedicti §. III.* postquam animadvertisset, nullam in Canonibus Synodi Nicænæ fieri mentionem Statuarum, quas nondum usus ferebat, imo neque ad hunc usque diem fert apud Græcos, sed planarum modo, sive pictarum, tessellatarumque Imaginum; unum tamen opponi posse huic sententiæ subjecit, ex Epistola videlicet Michaelis & Theophili Imperatorum ad Ludovicum Augu-

stum:

ſtum : in qua querebantur, quod Græcorum nonnulli *Corpus Domini in manus Imaginum ponebant*, a quibus Communio accipiebatur; quod quidem pictis convenire Imaginibus non poſſe, ſed tantum ſculptis, quis non videat? Hæc autem præcipua videntur fundamenta, quibus aliquo ſuſpicari quis poſſe videatur, ante Iconoclaſticum errorem, Statuarum quoque uſum & cultum apud Græcos obtinuiſſe.

Verum, ut eodem in loco ſtatim addit Mabillonius, ejusmodi unico, quod ipſe retulit, ex facto, conſequi ſolum poreſt, *aliquem fuiſſe apud Græcos nonnullos ea tempeſtate uſum Imaginum ſculptarum, rariorem tamen, & nulla Eccleſiæ auctoritate approbatum; unde in Æde Sanctæ Sophiæ, ab Juſtiniano Auguſto conſtructa, Sæculo ſexto, cum multæ eſſent Imagines, nullæ tamen fictæ exſtabant: ſed tantum cælatæ inſculptæque in argenteis tabellis, referente Paulo Silentiario, teſte oculato: quæ quidem Effigies a pictis & a planis parum differunt, uti & teſſellatæ*. Heinc Philadelphus ille Libycus, cujus teſtimonium retulimus Capite priore, quique a Sculptilibus Græcos jugiter abhorruiſſe contendit, ea quæ Goarus in Euchologio refert ex Hiſtoriæ Pauli Diaconi Libro XXI. quæque ſuſpicionem poſſe ingerere videntur, Græcos aliquando Sculptilibus fuiſſe uſos, de Anaglyphis interpretanda eſſe jure & merito oſtendit, non autem de Sculptilibus per ſe ſtantibus, deque fuſis Simulacris, ab aliis rebus ſuo corpore ſejunctis.

Hanc autem juxta interpretationem intelligenda veniunt quæ Nicæna in Synodo Theodorus pronunciavit Amorii Epiſcopus, in ſua videlicet Fidei Confeſſione: *Probo ſimiliter quæ a primordio receptæ traduntur Imagines, Jeſu Chriſti primum Domini noſtri, dein & Sanctæ Virginis Deiparæ, ſive ex auro, ſive ex argento, ſive colorum ductibus, ſive quacumque alia materia exprimantur*. Nam & in auro & in argento, aliaque etiam inſculpi in materia poterant ejusmodi Imagines; quare perperam nonnulli illo ex teſtimonio Statuas Sacras ante Nicænam Synodum a Græcis cultas fuiſſe arbitrati ſunt. Quin ut ad Pauli Diaconi teſtimonium revertamur, præterquam quod ignotum nemini eſſe debet, Arabicam illam, quam idem memorat, Hiſtoriam, inter fabulas eſſe enumerandam, animadvertendum æque ducerem, Auctorem illum non adeo preſſe latino ſermone loquutum eſſe, aut loqui ſolitum fuiſſe, ſed more potius Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui non adeo felicibus temporibus floruere, pinguiore iccirco minerva mentem ſuam expreſſiſſe & expoſuiſſe; quare ex verbis illis *Imagines deponeret*, male conſequamur Imagines illas fuiſſe Simulacra. Nonne Auctor Libri de Mortibus Perſequutorum, ut Capite vidimus hujus Elucubrationis VIII. de Maximiano ſcripſit: *Imagines ejus, quocumque pictus eſſet detrahebantur?* Nonne de Diocletiano & Herculio: *Simul plerumque picti erant, & Imagines ſimul deponebantur*

 am-

amborum? De Picturis en loquitur Auctor Libri de mortibus Persequutorum, & tamen utitur verbis *deponebantur*, *detrahebantur*. Sed & illustrius habemus exemplum in celebri Divi Gregorii Magni ad Serenum Massiliensem Episcopum Epistola. Picturas quasdam sacram ad Historiam pertinentes sua fieri in Ecclesia quum permisisset Serenus, inde vero novisset, Populum a Sacris Ethnicis ad Christiana recens traductum pictas illas Imagines cœpisse superstitiosius adorare, eradendas easdem confestim statuit. Id quum intellexisset Gregorius Summus Pontifex suam ad illum dedit Epistolam, quæ est CXVII. Libro VII. graviter ipsum redarguens, quod *quosdam Imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ Imagines confregit atque projecit*. Qua equidem de re quid ipse Pontifex sentiret, hisce aperire perrexit verbis: *Et quidem, zelum vos, ne quid manufactum adorari possit, habuisse, laudamus: sed frangere easdem Imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim Pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ in Codicibus legere non valent. Tua ergo Fraternitas*, prosequitur Gregorius, *& illas servare, & ab earum adoratu Populum prohibere debuit; quatenus & litterarum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, & Populus in Picturæ adoratione minime peccaret*. En ut de Picturis æque loquitur Gregorius, qui tamen verbis utitur *frangere*, *confringere*, *projicere*. Ex phrasi igitur, aut non exacto dicendi ex modo Pauli Diaconi Græcos Statuas olim sacras coluisse erui non potest.

Quoniam tamen Divi Gregorii heic testimonium allegavimus, det mihi benignus Lector hanc veniam, paullulum in rem nostram digredi ut possim. Petavius, Vir præclarissimus, Libro de Incarnatione XV. Cap. 18. in medium adducta Divi Gregorii super facto Sereni Epistola, subdit: *Nimirum quod complures in ea Provincia Gentiles adhuc degerent, qui Idolis & Simulacris assueti, & eorum implicati superstitioso cultu, difficile labem hanc eluere poterant.. Itaque nonnulli ex iis, ut apparet, rudes & barbari, postquam Religionem Christianam amplexi erant, ex Imaginum aspectu in pristinum elaberentur errorem*. Cur autem, ajo ipse, recentes Christiani illi pictarum ex Imaginum adspectu in Idololatriam facile adeo relabebantur, nisi quod, antequam falsis Diis valedicerent, pictas eorum Imagines adorare essent soliti? Neque enim alia de caussa, ætate illa opportunum arbitrabantur, aliquando, aut aliquo in loco, sacri Antistites Christianas etiam ab imperitorum oculis arcere Picturas, nisi quod rudes illi, Gentilium more & sensu, aliquando eas adorarent.

Sed latior adhuc ex mox recitato Massiliensium facto, præsertim si cum aliis illud conferamus, latior, inquam, nobis aperitur via, qua tuto doceamus, Picturas illas etiam, quæ in parietibus Templorum, hi-

historiæ & ornatus caussa esse videbantur, fuisse adhuc, pro receptissimo Ethnicorum ritu adoratas. Quasnam enim adorare Picturas pergebant Massilienses? Non alias, quam, historiæ caussa, coloribus expressas, ut Gregorius Magnus ait apertissime. Id autem eos Ethnico præstitisse ritu facilius intelligemus, si in memoriam revocabimus allegata ex Ezechiele, Capite hujus Commentarii III. *abominationes* nempe *pessimas* ab Idololatris Israelitis *factas*, *similitudinem omnem reptilium & animalium*, *Idola domus Israel depicta in Templi circuitu per totum*, *& Septuaginta Viros stantes ante Picturas*, *cum thuribulis ex quibus vapor consurgebat*. Præter eas igitur quæ mediis prostabant in Templis Imagines Deorum, illas quoque quas in Templorum parietibus conspiciebantur, Ethnicos esse veneratos, & Israelitæ & Massilienses in Idololatriam proclives suspicari nos cogunt. Nec enim obstabat quod Imagines illæ historiæ caussa essent in parietibus expressæ; ejusmodi siquidem figuræ animalium erant, ab Ezechiele etiam memoratæ. Quid enim illæ veteres apud Populos, nisi quædam emblemata & hieroglyphica, naturam & historias Deorum repræsentantia? Lucanus, *Libro Pharsaliæ IX.* Cæsarem inducit Achorea Sacerdotem Ægyptium compellantem, ut expressas animalium figuris in Templo insculptis Deorum historias sibi explicaret:

- - - - Phariæ primordia Gentis,
Terrarumque situs, Vulgique edissere mores,
Et ritus formasque Deûm: quodcumque vetustis
Insculptum est adytis profer, noscique volentes
Prode Deos.

Quum igitur *omnes parietes Templi*, ut scribit Hieronymus in locum Ezechielis mox citatum, quum, inquam, *omnes Templi*, de quo Ezechiel, *parietes diversis Idolorum Imaginibus picti essent*, *ut nulla esset Bestia*, *quam non parietis pictura monstraret*; illorumque figuras animalium Israelitas adorasse queratur apertissime Propheta, verisimile videtur id alios præstitisse etiam Idololatras; quum *Picturas ejusmodi in Delubris Idolorum*, *Phanisque Gentilium se eo usque perspexisse* Hieronymus idem fateatur.

Jam vero in Veterum Elucubrationibus vix aliquo de Templo invenitur dictum, quin ejus parietes historiis Deorum, sine fabulis coloribus expressis refertæ memorentur. Exempla prostant apud Lucianum *in Toxari*, sexcentis apud Pausaniam, & Strabonem in locis. Heic Jovis facinora, illic Apollinis gesta, alibi Minervæ nativitas, alibi Diana gryphe præclare effícto sursum subvecta. Ubique Deorum Effigies cum Heroum Imaginibus, horum gestis bellisque repræsentandis, expressæ; quare & Virgilius Æneam lustrantem Picturas magnifici Templi a Didone constructi, spectantem non modo inducit.

Atriden, Priamumque, & sævum ambobus Achillem;
& alia plurima Trojanum ad bellum spectantia, sed Deos quoque illius belli Actores & Præsides, eisdem scilicet in Tabulis depictos; prosequitur siquidem Libro Æneidos I. præstantissimus Vates:

Interea ad Templum non æque, Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.
Diva solo fixos oculos aversa tenebat:

Quæ omnia in Didonici parietibus Templi, pro vere exstantium forma & ritibus Templorum, pictura & coloribus repræsentata. Quis Ethnicorum autem ita depictam illam Deam, transeundo saltem, non religiose salutasset?

Falleretur autem vehementer quicumque non alium publici cultus Imaginum fuisse aut esse potuisse imaginaretur locum, quam ad Aras, aut Templi in medio, vel juxta mores hodiernos. Recentiores imo Græci suas & ipsi pictas in Templis Imagines adorant, quin sint illæ, Latinarum instar, super Aras erectæ & sitæ; idque ex Thoma Smithio eruere est in Epistola de hodierno Ecclesiæ statu, Londini edita, in qua de pictis loquens Imaginibus, quas δοξάζειν, τιμᾷν, καὶ προσκυνεῖν, hoc est, Græcos religiosissime adorare tradit, ita suam prosequitur narrationem. *In celebrium Vesperarum ministerio, ex ordinatione Philothei Patriarchæ Constantinopolitani, Sacerdos nonnisi post tres reverentias* (μετανοίας) *coram Imagine Christi, totidemque coram Imagine Virginis Deiparæ factas, Sacrarium ingreditur; & ita in tempore celebrandæ Missæ fiunt* (τρία προσκυνήματα) *tres adorationes coram iisdem Imaginibus, quas etiam pro diversa Officii in Sacris faciendi ratione subinde pariter ille colit, & thymiamate suffumigat; cujusmodi Imaginibus ornatur Tabulatum istud, quo Rema a reliqua Ecclesiæ parte disjungitur, ut Populo introeunti magis obviæ & conspicuæ sint. At in celebrioribus Sanctorum festis, quo Populi reverentia adversus illorum memorias magis accendatur, eorumdem Picturas in chartis graphice prælo elaboratas in suggesto prope mediam Chori partem positas* (*ideo* εἰκόνας τῦ προσκυνήματος *dictas,*) *producunt, quas, inclinato corpore & genibus, honoris causa, unusquisque fere osculari gestit.* Quid mirum igitur, quod Ethnici pictas in Templorum parietibus suorum Imagines Deorum adorarent?

Porro, si quis recentiores Græcos, Imagines quæ in Tabulato, aut ad latera altaris exstant, debito nunc honore prosequentes, & thymiamate suffumigantes, cum Judæis conferret in Idololatriam lapsis, de quibus Ezechiel querebatur, propterea quod stantes, & thuribula in manibus tenentes, suffitu adolerent Imagines Ethnicas Templi in circuitu depictas; siquis, inquam, id imaginari pergeret, summa

ma sane injuria id faceret, summoque jure queri recentiores Græci possent, quum diversa adeo ab Idololatriæ Objectis ipsi Objecta venerentur. Verum, cur, eadem quum sit ratio, queri nos recentioribus de Græcis non debemus, cultum erga Statuas Sanctorum nostrum Idololatriæ postulantibus, quod Deorum Statuas Ethnici frequentissime adorarent. Si enim extima rituum similitudo, & Imaginum materia eonveniens esse satis debet similitudini erroris inferendæ, haud video, qui se ab erroris nota vindicare possint Adversarii, adeo videlicet convenientes cum Gentilibus in cultu Imaginum pictarum.

Sed de his satis; jam enim tandem a diverticulo in viam. Disserebamus scilicet de Græcorum etiam veterum ritu qui numquam in Sacris Statuas admisere; neque enim oppositum evincit objectus Canon ille Apostolicus, quem retulimus, quemque primus in lucem edidit Franciscus Turrianus; quis enim hodierna ignorare die potest, esse eumdem supposititium? Ostendit id egregie Petavius, *Libro XV. de Incarnatione*, *Cap. XIV.* animadvertitque, Latinum Interpretem Synodi Septimæ, verba Canonis allegata *τὴν θεανδρικὴν στήλην* vertisse quidem *Dei virilem Statuam*; sed significare posse etiam, imo & debere, Columellam, aut Stativum, cui appicta vel appensa esset Imago Salvatoris; qua de re in superioribus satis actum. Et sane, similia pene habet Johannes Damascenus, quem tamen inter Statuarum Vindices nullus numerabit, juxta hodiernam interpretationem scribens scilicet, Libro de Fide Orthodoxa IV. Cap. 15. *Quocirca in Psalmis, & Hymnis, & cantibus spiritualibus, in compunctione quoque & egenorum miseratione, quibus & Deus potissimum colitur, nos qui fideles sumus colere Sanctos oportet. Statuas eis & Imagines, quæ videantur, erigamus: imo virtutes eorum imitando hoc consequamur, ut vivæ ipsorum Statuæ, Imaginesque evadamus.* Στήλας αὐτοῖς ἐγείρωμεν, ὁρωμένας τε εἰκόνας, καὶ αὐτοὶ Ἔμψυχοι στῆλαι αὐτῶν καὶ εἰκόνες, τῇ τῶν ἀρετῶν μιμήσει γενόμεθα. Quæ, tametsi ita versa, nedum tamen Statuarum apud Græcos cultum illo tempore evincerent, quum Sanctus Pater metaphorice loquatur; verum στήλας male interpres reddidit *Statuas*, indicat enim heic Damascenus triumphales veluti Columnas bonis operibus in honorem Sanctorum erectas. Euthymius reapse, initio Commentarii in Psalmum XV. monet, in Græcis Bibliis, pro tituli ejusdem Psalmi inscriptione στηλογραφίαν legi, *Columnæ* videlicet *Inscriptionem*, quod quum mos Veteribus fuisset Columnas strenue militantibus Viris in perpetuam ponere memoriam, loco ejusdem Columnæ, Victori Christo Psalmus ille inscriberetur.

Porro si quis relegat, Acta Synodi Nicænæ, & loca quæ sive oppugnando, sive vindicando Imaginum cultui in illis allegantur, dignoscet apertissime, nullam fere, nisi Picturæ mentionem ibi fieri,

vel

vel Imaginum coloribus & cera expressarum. De Statuis profecto, ceu cultis, vix unquam loquutos illorum temporum Polemicos, fatentur universi. Qua tamen ex re nullo inferretur jure, Græcos veteres eodem quo recentiores & hodiernos errore laborasse, sacras scilicet Statuas eos odio habuisse. Non enim modo ex tot tantisque, Septima in Synodo, hoc de argumento disputatis, verbum adparet nullum probe intellectum, quo illius Orthodoxos temporis Statuas & Signa Sacra aversatos fuisse suspicemur; verum Elogia præstantissima, quæ sive veteres Græci Patres, sive Patres etiam Nicæni, Statuæ contulere, quam mulier fluxu sanguinis laborans, Paneade Salvatori Christo posuisse dicebatur, satis & aperte quidem indicant, caruisse quidem Græcos veteres usu Statuarum, nullo umquam tamen adversus eas odio flagrasse. Ut ut enim Statua fortasse illa revera non fuerit erecta, id evenisse imaginati Patres illi, minime adhuc tamen factum illud Ethnicismi postularunt.

Neque vero heic Græculus aliquis, pro ingenii levitate, Germani Patriarchæ verba vellem mihi objiceret, quæ Actione habentur IV. Synodi Nicænæ, ejus ex Epistola ad Thomam Episcopum Claudiopolitanum, quibus, in medium adlata Statua Paneadensi, ita denique prosequitur: *Non autem hoc dicimus, æneas ut Statuas facere studeamus, sed ut insinuemus, quoniam illud gentilem secundum consuetudinem factum, non renuente, sed volente Domino, ut in ipso demonstraretur per plurimum tempus ipsius bonitatis miraculum, morem, qui apud nos obtinuit, magis pie, quodammodo fas non esse vituperare.* Οὐ τοῦτο δὲ λέγομεν ἡμεῖς, ὥστε τὰς τοῦ χαλκοῦ στήλας ἐπιτηδεύειν ἡμᾶς, ἀλλ' ἢ μόνον ὅτι τὸ κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν μὴ ἀποποιησαμένου τοῦ Κυρίου, ἀλλ' εὐδοκήσαντος ἐν αὐτῷ ἐπιδείκνυσθαι ἐφ' θαυματουργίαν, τὸ παρ' ὑμῖν εὐαγέστερον πως κρατῆσαν ἔθος κακίζειν οὐκ ὅσιον. Nollem, inquam, mihi hæc Græculus objiceret, ceu Statuam a Muliere erectam dixisset Germanus κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν *pro Gentilium consuetudine*, quare inferre Disputator pergeret, Statuas Ethnicismum redolere, aut non fuisse Patriarchæ illi probatas, aut magis pium saltem esse usum sacrarum Picturarum. Nollem, iterum dico, mihi hæc Græculus objiceret, quum verbis illis κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν rite adversus ipsum interpretandis neque heic uterer aut Petavii, Viri Clarissimi, doctrina, *Libro de Incarnatione XV. Cap. XIV. Num.* 4. contendentis phrasim illam, rem illicitam esse minime decernere, neque peculiare id Ethnicis fuisse, modum dicendi illum denotare; adversus Græculum non animadverterem, Germanum ita de præconcepto illo Simulacro verba facere, ut diversam sane a recentioribus Græcis mentem habuisse videatur, qui moderate scribens, magis piam, sobriamque magis pictarum consuetudinem Imaginum appellat, ast Paneadensem

Ta-

Tabulam neque damnat tamen, neque erroris postulat, quin imo prodigiis fulgentem, volenteque erectam Domino candide fatetur: quare, quum & Latinus Populus sua prodigiis fulgere imaginetur Simulacra, eadem Deo accepta esse, possit præconcipere. Hæc, inquam, omnia adversus Græcos prætermitterem; verum Scriptorem Græcum magni nominis, ipsos adversus statim ferrem, eadem prorsus usum phrasi de Picturis loquutum Christianorum. Loquimur de Eusebio Cæsariensi, qui Libro Historiæ Ecclesiasticæ VII. Cap. 28. eadem loquutus de Paneadensi Statua Salvatoris, ejusmodi verba subjicit: *Nec vero mirandum est, Gentiles a Salvatore nostro beneficiis adfectos hæc præstitisse; quum & Apostolorum Petri & Pauli, Christique ipsius pictas Imagines ad nostram usque memoriam servatas in Tabulis viderimus. Quippe Prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se benemeritos, Gentili quadam consuetudine, tamquam Servatores colere hujusmodi honoribus consueverant.* καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν τοὺς πάλαι ἐξ ἐθνῶν εὐεργετηθέντας πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ταῦτα πεποιηκέναι· ὅτε καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ τὰς εἰκόνας Παύλου καὶ Πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν· ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραφυλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς τοῦτον τιμᾷν εἰωθότων τὸν τρόπον. Dicat nunc mihi Græculus, quid differat ἐθνικῇ συνηθείᾳ Eusebii, a κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν Germani? Plane nihil. Itaque si veluti Ethnicas damnavit Germanus Statuas, veluti Ethnicas æque damnavit Eusebius Picturas. Nonne pudere Græcos deberet ignorare, se quæ Pueri, prima etiam Cathechismi rudimenta docti, callent, complures scilicet ritus ab Gentilibus usurpari solitos, nullaque per se se labe & flagitio laborantes, jam tum ab exordio Ecclesiæ, Christianam ad Religionem fuisse prudentissime traductos, nostraque ad Sacra relatos, turpitudinem exuisse pristinam, novamque induisse Sanctitatem? Nonne tota hæc erat vis Orationis Leontii pro Sacris Imaginibus, quæ *Actione IV.* prostat Concilii alteri Nicæni? Itaque Germani Patriarchæ ex verbis inferatur esto, Statuas Sacras in moribus Græcorum, cultus caussa, nondum adhuc tunc temporis fuisse; inferri ex eisdem non potest tamen, illius Græcos temporis aliquo nimioque, uti recentiores, peccasse adversus easdem odio.

Hisce autem præconceptis, & statutis, inquirendum superest, quanam igitur de caussa recentiores Græci Statuarum sacrarum usum & cultum adeo aversentur, eumque Ethnicismi postulare videantur? Jobus Ludolphus, in Commentario ad Historiam suam Æthiopicam, rationem ex Judaismo petit quare Christiani Orientales non admittant Imagines sculptas, sed tantum pictas. Libro siquidem illius Commentarii III. Cap. VI. Num. 14. ubi de pluribus agit ritibus, qui a Judæis ad Christianos migravere, scribit quoque: *Ornatum Ima-*

ginum

ginum si consideres, Judæi Picturas olim admittebant, Sculpturas aversabantur. Eandem differentiam Habessini, ceterique Orientales adhuc hodie observant; & paullo post ejusdem scilicet Capitis Num. 52. subjicit: *Differentia inter Imagines solidas atque cælatas, seu ex quacumque materia sculptas, & inter pictas & vestibus intextas aut alio modo planas, cujuscemodi Orientales Christiani habent, jam olim apud Judæos fuit observata;* qua de re testimonium adfert Maimonidis ex Libri כוכבים עבוד הלכות Cap. III. Ex quibus arguit Ludolphus, recentiores Græcos a Judæis suum adversus Statuas & Simulacra derivasse odium; quam propendere in sententiam videtur etiam doctissimus Petavius, qui *Libro XV. de Incarnatione, Cap. VI.* postquam ex Philone, Josepho, aliisque plurimis ostendisset, veteres Judæos a quocumque Imaginum genere abhorruisse, demum subjicit: *At recentiores Hebræi multum de ipsa severitate remittunt. Primum enim existimant, non omnes effigies interdicti Præcepto illo Decalogi, sed tantummodo prominentes, quas vocant* כולשות, *hoc est, exstantes & protuberantes. Deinde ornatus gratia licere putant quaslibet effigies habere rerum omnium, una excepta hominis figura. Tertio, planas & depressas Imagines, sive textorio opere factas, sive pictas, etiam humanas, licitas esse, dum tamen citra cultum & Idololatriam habeantur.* Quæ quidem repetit idem Auctor, ejusdem Libri XV. Cap. XIV. Num. 3. scribens: *Ex Antiquorum Scriptis observatione dignum est, cum sint Imaginum genera duo, picta Effigies & Statua; videri prius in usu magis apud veteres Christianos exstitisse: imo vero quosdam existimasse, unum illud licitum esse; altero, tamquam Gentilium proprio, rejecto. Huc vero referendum illud est, quod supra demonstravi, Hebræorum Magistros existimare solas exstantes & protuberantes Effigies Legis præcepto esse vetitas, non planas & pictas, sive textorio opere factas.* Quæ omnia eandem in sententiam latius explicavit etiam Seldenus, Libro de Jure Naturæ & Gentium juxta Leges Hebræorum II. Cap. *6.*

Ceterum, tametsi cum Judæorum adversus Statuas odio convenire recentiorum odium Græcorum videatur, non adeo conveniunt tamen, ut alterum ab altero derivatum esse definire debeamus. Rebus siquidem probe animadversis patet, discrimina illa, quæ Magistri Judæorum relate ad Imagines induxere, non cultum respicere pictarum Imaginum, aut sculptarum magis minusve protuberantium; sed illo discrimine usos eosdem esse quare definirent quales facere Imagines, & domi retinere, secusve licuisset; citra cultum tamen omnes, sive coloribus expressæ, sive alia essent etiam materia contextæ. Ast Græcorum recentiorum Quæstiones de usu non sunt, sed verius de cultu, quem aut Tabulis tantum pictis, aut textis Imaginibus, aut Sculptilibus anaglyptico opere efformatis, aut prostipis modo Imaginibus

nibus tribuendum ducunt, numquam vero integris Christi aut Divorum Simulacris. Quod enim Judæorum pauci aliqui, Itali nempe, ut monent Leo Mutinensis, & Buxtorfius, Synagogæ ritus describentes, aliquas sibi domi permittant pictas Tabulas profanum aliquid repræsentantes, Statuas vero præsertim humanas ceteris cum Recutitis aversentur, argumento esse non debet, recentiores Græcos, summis honoribus & publico cultu Picturas prosequutos, non autem Statuas, suum a Judæis aut ritum mutuatos esse, aut modum cogitandi.

Itaque sic ipse cogito, aliquod videlicet Græcorum errori dedisse fundamentum Quæstiones Iconoclasticas, sive non rectam a Græcis factam Nicænæ Synodi secundæ interpretationem; auxisse errorem illum vero, sive illam Statuas inter & Imagines pictas distinctionem, & in odium tandem commutasse, subsequutum inde Latinam inter & Ecclesiam Græcam Schisma, illa ipsa scilicet ætate, qua apud Nostros sensim sine sensu inductus fuerat Sculptilium usus & cultus. Revera Iconoclastæ præcipua illa adversus Orthodoxos in medium producebant argumenta, Præceptum nempe de non colendis Idolis & Sculptilibus, & veterum una, adversus Sculptas Imagines, Patrum testimonia. Nicæni vero Patres, cetérique Orthodoxi cultus Imaginum propugnatores, tametsi idonea & optima non omitterent responsa, sive ex maxima diversitate cultus, sive ex maxima Objectorum diversitate, Deorum nempe inter Imagines, nostrasque intercedente, erecta, illud adjiciebant tamen, Mosaicæ Præceptum Legis de Idolis, Signisque & Simulacris esse intelligendum, adversusque Patres veteres disseruisse contendebant. Nempe nullæ adhuc receptæ quum essent in Sacris nostris Statuæ, solumque Picturæ viserentur, notumque foret, Ethnicos suorum Statuas etiam coluisse Numinum; aut si quæ reliquæ tunc erant prophanæ Ethnicæque Imagines, Statuæ profecto erant, & Idola dicta; quare Idolum & Statua, pro illorum opinione temporum, idem esset, quod nulla esset adhuc, in Ecclesia saltem Orientali, Statua culta & consecrata; inde est, Patrum Nicænorum decreta legitima & verba adversus Statuas quascumque, (quia nisi Deorum tunc Statuæ non aderant) præpostero ab Græcis recentioribus intellecta sensu, de Statuis scilicet Deos etiam non repræsentantibus errori, quo de agimus, dedisse ortum & incrementum.

Accedebant alia, quæ recte quidem fuere pronunciata, sed a rudibus Græcis male accepta in illius Synodi interpretatione. Ad illa pertinent verba Germani Patriarchæ *κατ' ἐθνικὴν συνήθειαν* Paneadensi de Statua adfirmata, quæ quum receptam modo consuetudinem illius Gentis indicarent, posteriores Græci Ethnico de more dicta accepere. Ad illa æque pertinent verba ejusdem Patriarchæ, *προδήλως τῦ Σωτῆρος τὰ τῆς οἰκείας χάριτος ἐν συγκαταβάσει ποιυμένυ, πρὸς τὴν πίστιν γυναίυ*

 ceu

ceu Servator, propter Mulieris fidem tantum, Statuam illam erigi sibi permisisset. Ad illa spectant Johannis Episcopi Thessalonicensis verba, in Dialogo cum Gentili, & Actione V. Synodi Septimæ relata: *Nihil incongruum operamur pingentes Sanctos, quales fuerunt; neque enim fingimus, ut Vos*. Καὶ οὐδὲν ἀπεικὸς ἐργαζόμεθα γράφοντες αὐτοὺς, οἷοι καὶ γεγόνασιν· οὐδὲ γὰρ πλαττόμεθα κατ' ὑμᾶς. Ad illa denique æque pertinent quæ Stephanus Bostrorum Episcopus Actione II. illius Synodi ajebat: *Aliud enim est Imago, aliud Statua, hoc est Simulacrum in formam Viventis*. ἄλλο γάρ ἐστιν εἰκὼν, καὶ ἄλλο ἄγαλμα, τουτέστιν ζώδιον. Quod recte & jure ab illo pronunciatum, quum tunc temporis nulla essent alia aut memorarentur culta humanæ figuræ Simulacra, quam Statuæ Deorum. Ad illa etiam pertinent quæ Actione V. Synodi Nicænæ adferuntur, in qua Ethnicus a Johanne inducitur Archiepiscopo Thessalonicensi vindicans adversus Orthodoxos suorum cultum Numinum, his verbis: *An non & Vos in Ecclesiis vestris vestrorum Imagines pingitis Sanctorum? Ita igitur existima nos quoque foventes Statuas, eas non adorare, sed potentias incorporeas, quæ per eas coluntur*. ὑμεῖς οὖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰκόνας οὐ γράφετε τοῖς ἁγίοις ὑμῶν; οὕτω οὖν νόμιζε καὶ ἡμᾶς τὰ βρέτη περιθάλποντας οὐκ αὐτὰ προσκυνεῖν, ἀλλὰ, τὰς δι' αὐτῶν θεραπευομένας ἀσωμάτους δυνάμεις. Quo in testimonio Ethnicus suorum Simulacra Deùm non confert certe cum Statuis, sed solum cum Picturis Christianorum; quia tunc nullæ a Christianis in Oriente præsertim colebantur Statuæ; ast Græci recentiores, eo fortasse ex loco eruerunt proprium fuisse Ethnicorum adorare Simulacra. Uno verbo, plurima illa, quæ Sexta in Synodo contra Statuas & Simulacra, non absolute quidem aut generali quadam acceptione, sed solum tamquam Simulacra Gentium denotantia Patres Orthodoxi protulere, plurima, inquam, illa recentiores Græci de Statuis utcumque, absoluteque interpretati, solo Tabularum Sacrarum usu magis magisque apud ipsos confirmato, ita demum a Sacris etiam Statuis colendis alieni facti sunt, uti a colendis Idololatrum Simulacris.

Remotam jam vero solum originem dedisse diximus odio Græcorum sacra adversus Simulacra Iconoclasticas Quæstiones, & sinistram Synodi Septimæ interpretationem. Neque enim imaginari fas est, ipsam recentioribus cum Græcis convenisse. Nam tametsi pictas ad Imagines semper respexerint Nicæni Patres, ita ad illas respexere tamen, ut consequi fas sit, colenda etiam Divorum Simulacra, quod hæc æque ac Tabulæ, non Dæmonia, sed sanctissima Objecta repræsentent. Imo exempla quæ Patres illi Imaginibus propugnandis adferunt, nempe Arca, Cherubim, Statua Paneadensis, & similia sexcenta, Statuis & Simulacris vindicandis apta potius, quam Tabulis

viden-

videntur. Corrigendus heic igitur Gravesonus qui Tomo Historiæ Ecclesiasticæ III. hoc obiter de argumento verba faciens, ita differit: *Septima Synodus Generalis, in ea quam condidit Fidei Confessione, meminit tantum Picturarum, & admittit duntaxat in Religionis usum solas coloribus depictas Tabulas, non vero Statuas, seu figuras exstantes. Crediderim ipse, ideo tardius Statuas a Christianis fuisse usurpatas, quod de Statuis, seu figuris exstantibus intelligi potissimum debeat & Dei Lex, qua vetitum fuit omne Sculptile, & quod etiam ea, quæ super Imaginum usu scripserunt antiqui Patres in concertationibus cum Ethnicis, cadant præsertim in Statuas*. Quo quidem Latini Scriptoris testimonio nihil apud Græculos hodiernos expressius posset reperiri. De solis quidem pictis Imaginibus actum est in Synodo Nicæna; quin perinde inferri debeat, eandem ita solas coloribus expressas Tabulas probasse, ut Statuas cultu prosequi vetaret. Falsum æque est, ut multis demonstravimus, de Statuis plurimum intelligendum esse Mosaicum præceptum, quod Similitudines æque, sive Picturas, & insculpta respiciat Hieroglyphica. Falsum quoque, Patres, Deorum de Imaginibus loquentes in concertationibus cum Ethnicis, eorum præsertim respexisse Simulacra; quum fuse adeo hoc fuerit in Syntagmate ostensum, vetustissimos Christianos pictas æque Numinum Tabulas fuisse aversatos. Ex præcipiti igitur & confusa Historiæ Iconoclasticæ lectione, Patribus Synodi Nicænæ asserit allegatus Auctor quod proprium Græcorum fuit posteriorum, Synodum illam perperam interpretantium. Male siquidem si de Sculptilibus sensere Patres illi, ideo sane id fuit, quod non aliæ tunc cultæ memorarentur Statuæ, quam Ethnicæ, adversus quas certe & Dei Lex de Sculptilibus non colendis, & Patrum exstabant in concertationibus cum Ethnicis querelæ. Verum quæ somniari unquam potest sinistra Synodi Septimæ adversus Statuas sententia, quum nullæ, ætate illa, adhuc forent in Ecclesia Orientali in Templis Statuæ? Septimo solum Sæculo in Ecclesiarum aditu & portis, apud Occidentales, memorantur sculptæ aliquæ Imagines anaglyptico opere expressæ, ut monet Mabillonius, *Præfatione in Sæculum IV. Ordinis Sancti Benedicti* §. *III.* Agobardi ætate alicubi cultæ videntur etiam Statuæ; non ubique tamen easdem cultas judicabimus, sed seriore ævo, circa Photiana nempe tempora, si ea animadvertemus, quæ Gorius Vir Cl. de mitrato agens Jesu Christi Crucifixi Capite, scribit, *sculptam integra forma & opere Christi Crucifixi Imaginem serius introductam fuisse. Id vero antequam fieret, primum pingi, vel graphice delineari & cælatura insculpi cœpit, cui mox exstans Sculptura successit*. XI. videlicet, vel XII. ut arbitratur Sæculo. Haud videtur autem verisimile, ceteras Statuas, ante Crucifixi Statuam fuisse generaliter receptas. Jam vero quum Schis-

matis Photiani caussa, illa post tempora, Græci Latina ab Ecclesia maxime diffiderent, impotenti ipsorum adversus nos odio factum est, ut qui hoc etiam in ritu se a nobis diversos intelligerent, Statuas iccirco a nobis recens receptas aversari pergerent, & male adeo adversus easdem afficerentur, ut Idololatriæ demum atque Ethnicismi earum cultum postularent. Quum vero argumenta quærerent, quibus id jure aliquo præstare conarentur, ad verba Mosaicæ confugerunt Legis, & ad illa Psalmi *Os habent & non loquentur &c.* Quibus ex omnibus, optime, ut arbitror, consequimur, in moribus quidem veterum Græcorum minime fuisse Statuas venerari, quas tamen, ceu sanctissimorum Imagines Objectorum, nullo sunt odio prosequuti; Schismati autem Græcorum, eorumque male affecto in ritus Latinos animo asserendam eam, quam nunc præferunt, a Statuis Sacris aversationem, quamque cum eo, quo Sancti Patres adversus Simulacra Gentium odio agebantur, nullo jure & stultissime confundunt.

CAPUT XII.

An prudenter Latini Statuarum usum & cultum denique admiserint.

TAMETSI recentiores Græci Philosophiam magis & ratiocinium odio habeant quam Statuas, placet adhuc tamen aliquo modo cum iisdem ratiocinari, ut uberiores ritus nostri Vindiciæ absolvantur. Inquirendum igitur, an prudenter Latini Statuarum usum atque cultum denique admiserint? Qua equidem in re animadvertendum est, Latinos absque dolo malo, absque errore Dogmatis solaque pietate & veluti necessitate actos, nil tandem de Sculptilibus Ethnicorum cogitantes, suarum induxisse usum Statuarum. Imaginum sacrarum siquidem usum & cultum quum Synodus Nicæna Secunda statuisset, illudque Dogma Occidentales omnes demum recepissent, de Imaginibus itaque ubique erigendis, & pro facta potestate multiplicandis, cogitatum est. Verum ubinam probatos Pictores invenissent ii, qui decimo aut undecimo Sæculo Imagines sibi fieri curassent? Quonam pacto ab inductis in Ecclesiam Imaginibus, ad renatas usque, imo propagatas artes, idoneam saltem, quam venerarentur, sacram Tabulam aquirere non dicam ruris, sed præcipuarum etiam Incolæ Urbium potuissent? Ut enim Pictoria ars summæ est utilitatis, ita & difficultatis, ut animadversum etiam Johanni Gerardo Vossio, *de IV. Artibus popularibus, Cap. V.* cujus siquidem caussa est, quod ejus perfectio multarum adeo Disciplinarum auxilium requirat; accipit enim a Geometria Pictor lineam & Symmetriam, ab Optica umbram & lucem, a φυσιογνωμία mores & affectus; requiritur in Pictore demum

demum totius Naturæ, totius Scientia Mythologiæ; quæ omnia quis obſcurioribus reperire potuiſſet Sæculis, aut etiam poſtulare? Plurimi autem non eo erant ingenio, ut Gothicis quibusdam figuris Picturiſque contenti eſſe vellent, aut fortaſſe poſſent. Nullum ipſis notum erat, nullumque revera vel Nicænorum exſtabat Patrum, aut Romanorum Pontificum, aut Synodorum Provincialium adverſus religioſas Statuas Decretum. Noverant modo ſtatutum in Eccleſia fuiſſe, & ubique denique receptum, Sacras Imagines debito eſſe honore proſequendas. Ne igitur ſanctis Imaginibus carerent, quo hoc ſibi idoneum ſolatii & exempli Objectum compararent, quum Artis inopia, Picturas probe factas habere non poſſent, ad Statuas innocuo ingenio & adſectu confugerunt, quarum uſum cultumque, ne a modeſtia & decore debito recederet, optimis Legibus Eccleſia temperavit. Quum autem ſe ſe profecto ita res habuerit, haud video quare an id prudenter ab Eccleſiæ Paſtoribus permiſſum, poſſit dubitari. Ubi enim nullum aderat erroris, aut falſæ opinionis, ubi nullum aderat ſuperſtitionis aut ſcandali periculum; ubi contra idoneum Religionis aderat & pietatis incitamentum, ubi factum opportunis erat temperatum legibus, prudentis imo Legumlatoris eſſe videbatur, illud fovere & tueri, quam ſenſim & abſque dolo malo inductas Statuas, nulla cogente neceſſitate, & magna animorum offenſione, evertere & delere.

Urgere quis tamen poſſet, & contendere, antiquiorem Catholica in Eccleſia uſum fuiſſe pictarum Tabularum, quam uſum Sculptilium; prioribus ſiquidem etiam Sæculis recenſeri vetuſtiſſimos apud Chriſtianos Imagines Chriſti, Deiparæ, & Apoſtolorum pictas, nullam vero recenſeri Statuam, niſi fortaſſe Paneadenſem, quam tamen cultam fuiſſe, neque illi dicere auſi ſunt, qui ipſius de veritate non dubitavere. Morem igitur illum fuiſſe retinendum, antiquitate nempe conſecratum; recentiorem contra Statuarum rejiciendum, ipſa reluctante ritus novitate. Verum etſi fateor ultro & libentiſſime vel a Chriſtianæ Religionis primordiis cultas ab aliquibus Sacras Imagines fuiſſe, non illis tamen ritibus, non ea forma, nec illo adparatu, quo ſerioribus Sæculis, & in præſens apud Græcos, qui veteri colendi formæ, cereos addidere, ſuffumigationes, thymiamata, & adorationes, de quibus vetuſtiſſimos apud Scriptores, antiquum Imaginum cultum deſcribentes, altiſſimum eſt ſilentium. Itaque, ſi invariato, ut ita loquar, Dogmate, varia adeo ipſos apud Græcos inducta eſt in ritus ratione Diſciplina, ut qui ſe Eccleſiæ ingenium, mentem, & conſilium ſequi gloriantur, iis utuntur tamen ritibus, qui priorem non habent antiquitatem: quæ, obſecro, Adverſariorum mala fides & veluti dementia, Latinos, propter Statuas, novitii ritus & pene Ethniciſmi poſtulantium; quum extima hæc, & omnino accidentalis,

ita

ita si loqui fas est, Imaginum diversitas, aut promiscuus apud nos Statuarum & Picturarum usus neque minimam adferat Dogmati noxam, aut etiam pietati?

Inquient fortasse tamen nonnulli, qui Statuas esto ut hodierni Græci non criminentur, solum amarent tamen sacrarum in Ecclesia Picturarum usum: Tametsi neque Dogmati obstent Statuæ, nec pietati, incautum Vulgus tamen, indoctioresque inducere in errorem possent ob similitudinem illam, quam cum Viventium corporibus habent; quare rudis plebs rapi ad cogitandum posset, aliquid illis Statuis inesse, eoque pacto cælestibus ab Objectis & exemplaribus averti. Hoc autem confirmare fortasse pergerent auctoritate veluti Sancti Patris Augustini, Enarratione in Psalmum CXIII. scribentis: *Cur ergo tantopere Spiritus Sanctus curat Scripturarum plurimis locis hæc* (os habent, & non loquentur; aures habent, & non audient; oculos habent, & non videbunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt) *insinuare atque inculcare velut inscientibus, quasi non omnibus apertissima atque notissima; nisi quia species membrorum, quam naturaliter in animantibus Viventem videre, atque in nobismetipsis sentire consuevimus, quamquam, ut illi asserunt, in signum aliquod fabrefacta, atque eminenti collocata suggestu, cum adorari atque honorari a multitudine cœperit, parit in unoquoque sordidissimum erroris affectum, ut quoniam in illo figmento non invenit Vitalem motum, credat Numen occultum; Effigiem tamen viventi corpori similem, seductus forma & commotus auctoritate, quasi sapientium Institutorum, obsequentiumque turbarum, sine vivo aliquo habitatore esse non putat? Hinc & mala Dæmonia ad possidenda Gentium Simulacra talis hominum affectus invitat, quorum Præsidentium varia fallacia mortiferi seminantur & multiplicantur errores. Quis autem adorat, vel orat intuens Simulacrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ab eo sibi præstari quod desiderat, speret? Itaque homines talibus superstitionibus obligati, plerumque ad ipsum Solem dorsum ponunt, preces fundunt Statuæ, quam Solem vocant: & cum sonitu maris a tergo feriantur, Neptuni Statuam, quam pro ipso mari colunt, quasi sentientem gemitibus feriunt. Hoc enim facit, & quodammodo extorquet illa figura membrorum, ut animus vivens in sensibus corporis, magis arbitretur sentire corpus quod suo corpori simillimum videt, quam rotundum Solem, undasque diffusas, & quidquid non eisdem lineamentis formatum conspicit, quibus illa formata sunt quæ Viventia videre consuevit. Contra hunc affectum, quo humana & carnalis infirmitas facile capi potest, cantat Scriptura Dei res valde notissimas, quibus commemoret, & tamquam excitet mentes hominum in consuetudine corporum dormientium. Sed enim & nos plerumque instrumenta & vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usu celebrandorum Sacra-*

men-

mentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicantur, in ejus honorem, qui pro salute nostra inde servitur. Et sunt profecto ista instrumenta, vel vasa quid aliud quam opera manuum hominum? Verumtamen, numquid os habent, & non loquentur? numquid oculos habent, & non videbunt? numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Illa maxime causa est impietatis insanæ, quod plus valet in affectibus Miserorum Viventi similis forma, quæ sibi efficit supplicari, quam quod eam manifestum est non esse viventem, ut debeat a Vivente contemni. Plus enim valent Simulacra ad curvandum infelicem animum quod os habent, oculos habent, pedes habent; quam ad corrigendum quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt. Loquitur heic sane de Idolis, sive de Numinum falsorum Simulacris Augustinus, vim tamen ratiocinii exerit & locat totam in ratione Simulacri, & similitudinis quam habere videntur Statuæ cum Viventibus; quare & ipsa in illis Objecta vivere aliquo modo, rudiori saltem plebi videantur. Non dissimilia quoque in Epistola urget CII. Quæstione III. ad Deogratias his verbis: *Et idola quidem omni sensu carere quis dubitet? Verumtamen cum his locantur in sedibus honorabili sublimitate, ut a precantibus atque immolantibus adtendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere & spirare videantur; accedente præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus impenditur.* Denique Libro de Fide & Symbolo, Cap. 7. *Tale Simulacrum*, inquit, *nefas est Deo in Templo collocare.* Ex his vero omnibus inferre quis videretur posse, non recte admissas permissasque fuisse Occidentali in Ecclesia Divorm Statuas, quum diversissima licet a superstitionis idololatricæ Objecto Objecta repræsentent, habeant illæ semper tamen similem viventi corpori veluti Effigiem, qua adfectum rudiori saltem a plebe extorquere valeant, cujus animus corporeis sensibus nimium actus, arbitretur pene sentire illa Simulacra, quæ suo corpori simillima intuetur. Magis enim valere videtur posse Viventis similitudo in Simulacro ad infirmam mentem decipiendam, quod os oculosque habeant, aures, nares, manus, atque pedes, omnia quamvis reapse sine sensu, quam Sacrorum documenta Præsulum, & Antistitum, quibus Populi monentur, nullum Statuis inesse sensum, Cælitesque modo esse religioso in cultu respiciendos.

Haud negandum quidem, Gentilium nonnullos aliquam credidisse Numinum in Statuis præsentiam, aut virtutem; neque adversus ejusmodi tamen hoc disputat in loco Augustinus, sed illos adversus verius, qui, ceu tritam nimis, & nullo modo necessariam, irridebant Prophetæ sententiam: *Oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient;* veluti nil novi verbis adferret aut doceret illis Psalmi

mi Auctor; quum receptum satis vulgatumque apud omnes præconciperent, rem revera ita se habere. Itaque Sanctus Pater adhuc minime admittenda esse Simulacra contendebat, quod tametsi Numen aliquod invisibile, præsidens huic vel illi Simulacro, se modo adorare Gentiles faterentur; tametsi Statuam se modo intueri responderent, tamquam illius signum rei, quam colere debebant; negotium adhuc tamen periculi plenum esse contendebat Augustinus, Effigiem proponere colendam similem corpori viventi, quod Vulgus præcipue, rudioresque, illa adhuc forma & similitudine acti & illecti, Simulacrum absque vivente aliquo habitatore fore non putarent, arbitrarenturque sentire illa corpora suis corporibus simillima, ceu iisdem efficta lineamentis, quibus illa formata sunt, quæ animo sensuque prædita experimur. Quum autem esto Cælites venerari religiosum omnino sit, ita prohibeamur adhuc tamen eos in Statuis Viventes præconcipere, fit inde consequens, removenda quammaxime a nobis esse remota etiam hujusce erroris incitamenta; eodemque modo nostras contra Statuas facere Augustini ratiocinium, uti Ethnicorum contra Idola militare videbatur.

Cui Objecto tamen pervium omnino est, aut vehementer fallimur, Responsum. Primum siquidem, ut ex serie Orationis constat, de Simulacris loquebatur Numinum falsorum Augustinus, deque Statuis, quibus Dæmonia colebantur; quare ipsius ex doctrina haud recte & jure hodierno oppugnantur Divorum Simulacra, quæ utique non viderat Sanctus Pater, nondum scilicet in Ecclesiam tunc temporis inducta; quæque si recepta novisset ab Ecclesia, nullum proculdubio nacta eadem essent acriorem Augustino Vindicem, qui totus semper fuit in acutissimis excogitandis rationibus, quibus Ecclesiæ mores tuerentur. Quin & Augustini ea de re mens ex Disputatione erui satius debet, quam habuit contra Faustum Manichæum. Ita scilicet argutabatur Faustus, Libro Sancti Patris contra eundem XX. *Priores vestri Judæi, segregati etiam ipsi a Gentibus, Sculpturas solum dimiserunt; Templa vero & immolationes, & aras, & Sacerdotia, atque omne Sacrorum Ministerium, eodem ritu exercuerunt; ac multo superstitiosius quam Gentes.* Ad quæ ita regerit Augustinus: *Neque enim, sicut Faustus dixit, Priores nostri, Judæi, segregati a Gentibus, cum Templum haberent, & immolationes, & aras, & Sacerdotia, Sculptilia solum dimiserunt, idest, Idola; poterant enim, sicut nonnulli etiam sine Idolorum Sculpturis, Arboribus & Montibus, postremo etiam Soli & Lunæ, ceterisque Sideribus immolare. Non ergo illi Patres nostri sola Gentium Simulacra dimiserunt, sed neque terræ, neque cuiquam terrenæ rei, neque mari, neque cælo, neque militiæ cæli aliquid immolantes, uni Deo Creatori omnium Victimas obtulerunt.* Ratio igitur Idololatriæ in Objecto culto, pro

Augu-

Augustini sententia, proprie sita erat, non in usu Simulacrorum. Sed etiamsi ætate sua non admittendas arbitratus esset Hipponensis Præsul Christiana in Ecclesia Divorum Statuas, haud perinde inferre fas esset, peccare nunc Latinos in earum moderato cultu; siquidem illis temporibus idoneus timor esse poterat, ne Nostri Statuis abuterentur, dum suas scilicet mox adoraverant Ethnici Deorum profanorum Statuas; neque exstinctæ prorsus adhuc erant superstitionis Idololatricæ reliquiæ, quæ bonos polluere etiam ritus potuissent. Nam revera, tametsi Ethnicorum sapientiores nullam præconciperent Numinum in Statuis præsentiam, iidem tamen ipso adeo movebantur Operis artificio, ut Viventes pene crederent; qua de re testis Themistius doctissimus, qui Oratione XV. scribit: *Ubi Dædalus Simulacrorum pedes distinxit, viva & spirantia fabricare creditus est.* Δαίδαλος δὲ ἐπιδὲ πρῶτος διήγαγε τὼ πόδε τῶν ἀγαλμάτων, ἔμπνοα δημιουργεῖν ἐνομίσθη. Itaque & jure Propheta Regius Simulacra non videre, non audire, non intelligere, non ambulare monebat; & jure Augustinus ætate sua, nimis Idololatriæ proxima, ita loquebatur, ut Simulacra nullo esse admittenda modo existimasse videatur. Verum, iterum dico, distinguenda sunt tempora, ut omnia inter se probe convenire intelligamus. Querebatur idem Sanctus Pater Augustinus, Sermone XV. *de Cathedra Sancti Petri, & Libro Confessionum VI. Cap.* 2. nonnullis de Christianis, qui suo tempore super Defunctorum tumulis cibos vinaque ferebant, ac si egressæ e corporibus animæ cibis egerent, aut etiam uterentur. Cogita an opportunum fuisset illud tempus Statuis etiam Sanctorum permittendis. Si enim ceteri Sæculorum illorum Patres, Idololatriæ metu, ipsas sacram ad historiam, aut ad historiam Martyrum pertinentes pictas Tabulas, aliquando, aut aliquibus in regionibus, ab oculis & cultu recentiorum Christianorum removebant (ut in facto vidimus Sereni Massiliensium Episcopi, utque notum est in facto Epiphanii,) potiore jure non admittendæ tunc Statuæ fuissent, ne recens Baptismate donati, vixque Idololatria egressi, Martyres, eorumque animas aut Spiritus in Sacris adesse Simulacris sibi facile persuaderent; quemadmodum rudiores Ethnici suorum præsentiam Numinum in Statuis facile credebant.

Hæ quum serius inductæ in Ecclesiam fuissent, adeoque ætate illa, qua nullum Christianis in regionibus Idololatriæ vestigium erat reliquum, heinc nullum erroris periculum, aut offendiculum imminere jure meritoque creditum est; & porro ipso tandem compertum est experimento, Populos eadem prorsus se habere ratione, eadem Religione, eodem erga Statuas Sanctorum sensu, atque erga Imagines coloribus expressas, & utrumque Imaginum genus æque innocuum esse, imo utile & pietati consonum. Si enim ab infirma imaginandi

 vi ve-

vi vetulæ alicujus, ritus ad Religionem pertinentes, pensandi, statuendi, reformandique forent, ab ipsis abstinendum etiam esset pictis Tabulis, in quibus æque atque in Statuis aliquam præconcipere Vulgus posset virtutis Cælitum præsentiam, & facillime porro præconciperet, nisi probe Catholicis a Doctoribus & perpetuis Cathechesibus institueretur. Et sane haud reor fore ut hac de caussa adversus Statuas argumentarentur Græci, quum facile nosse possent, eodem olim apud ipsos incommodo Picturas laborasse. Muratorius siquidem, Vir Cl. in Tractatu de ordinata Pietate Christianorum, Cap. XXIII. narrat, *Græcos olim pictam quandam Deiparæ Imaginem veneratos quammaxime fuisse, tum quod a Beato Luca eamdem depictam præconciperent; tum etiam quod præconciperent Deiparæ ipsius Spiritum in illa Tabula inclusum, aut illam incolere Picturam; quam iccirco superstitione laborantem opinionem Innocentium III. Pontificem Maximum damnasse, Libro IX. Epistola CCXLI.* Adeo verum est, eandem esse, & fuisse semper, sive recte, sive secus cogitemus, sculptarum, pictarumque Imaginum rationem. Ea vero de caussa ante omnium oculos Orthodoxorum sunt aurea Conciliorum verba, quæ sanctissime hisce de rebus quod opportunum erat statuerunt. Synodus Moguntina Canone XLI. hac de re ita decrevit: *Imaginum autem usum, velut pro erudienda plebe, & omnium animis excitandis utilem, in Ecclesiis nostris retineri mandamus: dummodo Pastores nostri Populum accurate moneant, Imagines non ad id proponi, ut adoremus & colamus eas, sed, ut quid adorare aut colere, aut quarum rerum utiliter meminisse debeamus, per Imagines recordemur. Procaces vero Imagines, & nimio artis lenocinio, ad mundanæ potius vanitatis speciem, quam ad pietatis commotionem effigiatas, in Templis proponi omnino vetamus; tam lascivam artis ostentationem frugi & severo Patri-familias intra privatas Ædes gravem, in Templis prorsus intolerabilem censentes.* Canone autem XLII. rursus eadem Moguntina Synodus: *Quum utilis & legitimus Imaginum usus intra eos limites contineri merito debeat, ut simplex Populus non ipsas Imagines adorare, aut fiduciam in eis ullam ponere, quosve honorare, & unde omnia bona sperare debeant, per Imagines discant recordari: Nos pravæ superstitioni viam præcludere volentes, omnibus Locorum Ordinariis injungimus, ut si forte in territoriis suis ad Imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius Imaginis figuram respectum habere, & quasi quamdam Divinitatis opinionem illi tribuere animadverterint: ipsam Imaginem (adhibitis prius in consilium Theologis, & Christianarum antiquitatum scientissimis juxta ac pientissimis Viris) pro causæ qualitate aut tollant, aut mutent, & aliam a prima qualitate differentem reponant; ne rudis Populus in intellectu suo depressus, & ideo per media corporalia ad Divina erigendus, spem suam, contra Ecclesiæ intentionem, in corporali,*

& qui-

& quidem certa Imagine , privata phantasia atque inhæsione collocet : quasi in illa sit quædam necessitas, ut per eam, & non aliter, inducantur Deus & Sancti , id facere , quod petitur . Verum hæc omnia , uti dictum est, de Theologorum , & sapientissimorum Virorum sententia , ut sic salubri Ordinariorum providentia a pernicioso Idololatriæ scelere Populi præservetur simplicitas. Concilium autem Tridentinum , ita Sessione IX. statuit : *Imagines porro Christi , Deiparæ Virginis , & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas , & retinendas ; eisque debitum honorem, & reverentiam impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas , vel virtus, propter quam sint colendæ ; vel quod ab eis sit aliquid petendum ; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda : veluti olim fiebat a Gentibus , quæ in Idolis spem collocabant ; sed quoniam honos , qui eis exhibetur , refertur ad Prototypa , quæ illæ repræsentant. Ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus , & procumbimus , Christum adoremus ; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Quod si aliquando historias , & narrationes Sacræ Scripturæ , cum id indoctæ plebi expediet , exprimi & figurari contigerit: doceatur Populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici , vel coloribus ac figuris exprimi possit. Hæc ut fidelius observentur, statuit Sancta Synodus, nemini licere , ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta , ullam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.* Hos juxta vero Canones, uti pictas Sanctorum Tabulas, ita eorumdem Statuas Orthodoxi venerantur ; & ejusmodi Legibus sanctissimis quum Latini omnes se obtemperare glorientur, quodnam ex Statuarum cultu offendiculum est suboriendum ?

Profecto si intelligerent nossentque Catholicæ Antistites Ecclesiæ , Vulgus non eandem Statuarum habere ac pictarum Tabularum rationem, aut Rudiores Sanctorum ab Statuis perperam affici & moveri, dubium nullum est, quin earum usum omnes statim interdicerent, easque prudenter removerent. Johannes Molanus, Vir piissimus , Libro de Picturis & Imaginibus , Cap. LXXXVI. inquirebat , cur Romæ rariores essent ætate sua Divorum Statuæ, quæ apud Belgas aliosque erant frequentiores, & ejusmodi Quæstioni ita regerit: *Cur autem Romana Ecclesia non habeat tot Sanctorum Statuas , sicut aliæ multæ regiones, sed solas fere depictas eorumdem Imagines, difficulter, & nonnisi conjecturam capiendo , dicere possem . Si autem conjecturam audire non graveris, eamque tantum ut conjecturam recipere velis, suspicor, Romam rariores admisisse Sanctorum Statuas , propter multitudinem profanarum Statuarum , quas etiam in Ecclesiis ad memoriam Defunctorum habet plurimas ; quare inter tot Statuas difficulter aliquando Sanctorum Statuæ a Defunctorum Statuis distinguerentur : nec magnum videtur Sanctis ho-*

norem Statuarum deferre, qui tam multis ibi communis: & ubi habentur ipsi cineres & Corpora Sanctorum. Audio etiam, Antuerpiæ & alibi, ubi fracta per Sectarios altaria, iterum, Deo nobis propitio, eriguntur, rariores in Altaribus poni Statuas Sanctorum, crebriores vero depictas Tabulas: idque non aliam ob causam, quam quod plus artificii dicatur esse in illis Picturis, quam in Statuis. Posset aliquo jure quis etiam suspicari, frequentiores Romæ fuisse, Molani ætate, pictas Divorum Tabulas, quam in ceteris regionibus, quod citius quam in illis propagata floruerit ars Pictoria in Urbe, & majori copia inventi apud nos fuerint egregii Pictores. Quum enim imperfectissima foret alibi Ars illa, heinc ne Piorum animi pessimis Picturis in offensionem potius raperentur, ad Statuas, faciliore profecto conatu obtinendas, confugiendum esse statuerunt, qui hoc exempli & solatii genus deperibant; quod quum utile, & periculi expers, Ecclesia experiretur; ultro admisit; deliberatura sane secus, si, uti Molani tempore, in Belgio, ita, ceteris quoque in regionibus Ecclesiasticæ id Disciplinæ ratio postulare videretur.

Ceterum, si fari licet quod sentio, imaginari vix possum, fieri qui possit, ut imbecillis adeo alicujus sit mens, ut in Statua lignea, aut eburnea, aut argentea, aut marmorea viventem animum veluti imaginari sibi possit, aut præconcipere vim eisdem inesse similem Viventi. Ejusmodi est enim harum ratio Statuarum, ut quid inanime & iners statim repræsentent, quantocumque excellere possint artificio. Talem igitur in errorem inducere unum modo posset genus Statuarum, videlicet depictarum, & coloribus illitarum, quibus scilicet vultus in humanæ carnis speciem elaboratus, manusque viventibus similes colorum vi expressæ; amictus denique haud dissimilis iis, quibus Viventes frequentissime utuntur. Verum quam raræ sunt, quam infrequentes, Latinorum etiam in cultu, Statuæ ejusmodi! Quot quantaque in Diæcesanis etiam Ecclesiæ Synodis, ea de re prudentissime jussa & statuta! Infinita certe Decreta exstant, quibus apertissime præcipitur, *ut Divorum Simulacra, sive Statuæ ex ligno fabricentur solido, vel alia materia æque solida, superinducta pictura prorsus decenti, & auro vel argento intecta, vel ornata; neve Statuæ Sanctorum illæ induantur vestibus vel amictibus profanis; non anuli circumdent digitos; non torques, vel armillæ brachia, vel collum; non ficta capillitia & crines operiant caput; sed sic fabrefacta sint, ut ex vultu & habitu ingerant devotionis sensus, & pietatem instillent & infundant*. Ita Synodus Laudensis VI. Cap. 24. Ita Synodus Provincialis Mediolanensis IV. ita & ejusdem Ecclesiæ Synodus Diœcesana IV. Decreto VI. eodemque modo aliæ Synodi sexcentæ; ut ea prætercam, quæ habentur in *Instruct. Fabr. Eccles. Lib. I. Cap. XVII.* & ne de notissi-

mis

mis Decretis dicam Urbani præsertim VIII. & Innocentii XI. Pontificum Maximorum, quibus omnes prohibentur sacræ Imagines, sive sculptæ, sive pictæ, aut depictæ, alio cum habitu & forma, quam universa in Catholica Ecclesia a tempore antiquissimo consueverunt efformari. Clemens XI. aliique post ipsum Romani Pontifices, ne Statua poneretur in Altari ulla si quando Fidelium adorationi expositum esset Sanctissimum Christi Corpus, Decretis sapientissimis sancivere. Verum hucusque dicta ad morosos quosdam homines pertinent, non ad Græcos recentiores, qui non vestitas modo, ut ita loquar, aversantur Statuas, sed marmoreas etiam eburneasque & ligneas, aliis etiam, ut vidimus, de caussis, & sistemate diverso.

Hosce igitur adversus Dissertationi coronidem imponemus his verbis: Quum Ecclesia Catholica, eodem ritu, eademque qua pictas ratione, sculptas etiam Imagines suis Populis exhibeat & proponat; quumque Populi Latini omnes eandem utrarumque Imaginum habeant rationem; quum non Statuam aut Simulacrum, sed Objectum satius colatur; quid prohibet nostros nos mores iisdem vindicare & tueri verbis, quibus recentiores utuntur Græci pictis Imaginibus adversus Iconoclastas vindicandis? In Orthodoxa, ut ajunt, Confessione Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis a Patriarcha Nectario, anno Christi MDCLXII. concinnata, & a quatuor sedium, quas Græci Apostolicas vocant, Episcopis adprobata, quam cum interpretatione Latina Lipsiæ edidit Laurentius Normannus, Quæstione LV. hæc inveniuntur Picturis sacris propugnandis conscripta: *Quando nos Imagines veneramur, non adoramus illitos tabulis colores, aut ligna ipsa, sed Sanctos suis Imaginibus repræsentatos; neque admiratio arti Pictoriæ tribuitur ab Orthodoxis, sed Personis Sanctorum illorum, quos Imagines referunt.* μα ἡμεῖς ὅταν τιμῶμεν τὰς εἰκόνας καὶ τὰς προσκυνοῦμεν, δὲν προσκυνοῦμεν τὰ χρώματα, ἢ τὰ ξύλα .... οὔτε δίδεται ἀπὸ τοὺς Ὀρθοδόξους εἰς τὴν τέχνην τῆς ζωγραφιαῆς, ἀλλὰ εἰς τὰ πρόσωπα τῶν ἁγίων ἐκείνων ὁπου αἱ εἰκόνες παριςάνουσι. Qua cum examussim nupera consonat Græcorum Fidei Confessio a Smithio edita, in Epistola de hodierno Græcæ Ecclesiæ statu, ubi illa: *Nos quum honoramus Imagines, easque colimus, neutiquam colores, aut lignum colimus, sed ipsos Sanctos, quorum sunt Imagines, cultu Duliæ: mente nostra illos oculis adesse nostris concipientes.* Ἡμεῖς ὅταν τιμῶμεν τὰς εἰκόνας, καὶ τὰς προσκυνοῦμεν, δὲν προσκυνοῦμεν τὰ χρώματα, ἢ τὰ ξύλα, μα τὰς ἁγίους ἐκείνους, τῶν ὁποίων εἶναι αἱ εἰκόνες δοξάζομεν, μὲ προσκύνησιν δουλείας, βάλλωντας μὲ τὸν νοῦν μας τὴν ἐκείνων παρουσίαν εἰς τὰ ὄμματά μας. Et rursus in eadem Fidei Confessione: *Cultus ipse ab Orthodoxis non exhibetur erga artificium Picturæ, sed Sanctorum erga Personas, quos Imagines istæ repræsentant.* οὔτε δίδεται ἀπὸ τοὺς Ὀρθοδόξους εἰς τὴν τέχνην

τῆς

τῆς ζωγραφικῆς, ἀλλὰ εἰς τὰ πρόσωπα τῶν ἁγίων ἐκείνων, ὅπου αἱ εἰκόνες παριστάνουσι. Ut Græci, inquiebam, ita differunt suis de Picturis, cur eadem uti non possunt differendi ratione suis de Statuis Latini? Nempe nos eo dilectionis & Sanctitatis cultu Cælites colere, quo & hac in vita colimus Sanctos Dei homines; tutius imo illos, post indeptas adoreas, & beatissimam felicitatis & æternæ gloriæ coronam. Horum vero quum veneramur Signa & Simulacra, non æs, lignumve, aurum, argentum, aut marmora, sed Divos ipsos venerari, illosque, uti pictarum ope Tabularum, ita æque Statuarum ope mente tantum præsentes adesse præconcipere; cultumque nostrum non ad Sculptorum Statuariorumque artificium referri, sed Divis exhiberi ipsis, uti adorationem Christo, quos Statuæ illæ repræsentant. Cur igitur Ethnicismum redolere debet Simulacrorum apud Latinos usus, quum illum non redoleat usus Imaginum pictarum? Num quod Sculptilia vetere in Testamento prohibita fuere? At æque vetitas ostendimus pictas Tabulas; statim atque sive Simulacris, sive pictis Tabulis falsa colerentur Numina. Num quod Statuæ in moribus Ethnicorum sacris adeo fuere? At in sacris Ethnicorum moribus æque fuisse vidimus Deorum pictas Tabulas. Non igitur nostris de Simulacris interpretandæ sunt Sacræ Literæ, uti suis de Picturis eas non interpretantur Græci; neque Idololatriam Statuæ redolere possunt, statim atque eam non redolent Picturæ; quare & fateri recentiores Græci demum teneantur, ea ratione qua sacrarum consuetudinem Picturarum, consuetudinem Simulacrorum quoque, Catholico ritu & sensu, innoxiam esse posse, imo etiam utilem, Signaque Divorum ipsa jure optimo Latina admitti ab Ecclesia potuisse, & Religionis usui consecrari.

F I N I S.

HU-

HUCUSQUE EDITA AUCTORIS OPERA.

Patriarchæ Josephi, Ægypti olim Proregis, Religio a criminationibus Basnagii vindicata. Neapoli excudebat Felix Carolus Mosca. 1738. in 8. Iterum Tomo XXIII. Collectionis Calogerianæ pag. 135. Venetiis apud Simonem Occhi 1741. Iterum Brixiæ, apud Johannem Baptistam Rossinum 1747. in 8.

De Inopia veterum Monumentorum pro copia Martyrum dignoscenda adversus Dodvvellum Dissertatio. Mediolani apud Josephum Richinum Malatestam. 1740. in 8.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis Lib. III. Mediolani, apud Josephum Ricchinum Malatestam. 1742. in 4.

De Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione Liber Singularis. Brixiæ ex Typographia Johannis Mariæ Rizzardi, 1743. in 8. Iterum, Venetiis apud Petrum Valvasensem. 1753.

De Martyribus sine Sanguine altera adversus Dodvvellum Dissertatio. Mediolani, apud Josephum Richinum Malatestam. 1744. in 8.

De Forensi Judæorum Buccina Commentarius. Brixiæ excudebat Johannes Maria Rizzardi. 1745. in 4.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ. Accedit Dissertatio de Loco Johannis aliter atque habet Vulgata, a nonnullis Patribus lecto. Brixiæ apud Johannem Mariam Rizzardum. 1746. in 4.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud Sanctos Patres Lectionibus ad Benedictum XIV. Pontifex Maximum Lib. II. Veronæ apud Augustinum Carattoni. 1747. in 4.

De futuro Sæculo ab Hebræis ante Captivitatem cognito adversus Johannem Clericum Commentarius. Mediolani in Regia Curia. 1748. in 8.

De Diptycho Quirininno Epistola ad Eminentissimum Cardinalem Quirinum; Tomo XL. Collectionis Calogerianæ, pag. 187.

De Diptycho Quiriniano Epistola Secunda ad Eminentissimum Cardinalem Quirinum. Brixiæ apud Jacobum Turlinum, 1749. in 4. Iterum, Tomo XLII. Collections Calogerianæ, pag. 237.

De Tarsensi Hercule in viridi Jaspide insculpto ad Clariss. V. Albertum Mazzolenum Abbatem Casinensem Epistola. Brixiæ apud Jacobum Turlinum. 1749. in 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrariensi, dum publici Sacræ Theologiæ Professoris munus auspicaretur, anno MDCCL. Ferrariæ apud Josephum Barberium. 1750. in 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrariensi anno MDCCLI. Ferrariæ apud Josephum Barberium. 1751. in 4.

De Baptismate in Spiritu Sancto & Igni Commentarius Sacer Philologico-Criticus, cui accedunt Orationes duæ in Athenæo Ferrariensi habitæ. Mediolani in Regia Curia. 1752. in 4.

Oratio in Athenæo Ferrariensi habita, anno MDCCLII. Venetiis apud Simonem Occhi. 1752. in 4.

De Sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu adversus recentiores Græcos Dissertatio. Venetiis apud Petrum Valvasensem. 1753. in 4.

Nos

Nos F. *Antoninus Bremond Sac. Theol. Professor*, & *totius Ordinis* FF. *Prædicatorum humilis Magister Generalis*, & *Servus*.

HArum serie, nostrique auctoritate Officii, quantum in Nobis est, facultatem concedimus R. P. F. Casto Innocenti Ansaldi Provinciæ nostræ utriusque Lombardiæ, Publico in Civitate Ferrariensi Professori, typis edendi Opus ab ipso elaboratum, cui titulus: *De Sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu, adversus recentiores Græcos Dissertatio*, dummodo a duobus Ordinis Nostri in Sacra Theologia Magistris revisum & approbatum, prelo dignum judicetur, & serventur cetera de jure servanda. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. In quorum &c.

Datum Romæ, in Conventu S. Mariæ super Minervam.
Die XXXI. Januarii 1753.

F. Antoninus Bremond
Magister Ordinis.



Reg. pag. 123.
Fr. Thomas Ignatius Natta
Magister & Socius.

OBtemperaturus Reverendissimo P. Magistro Generali, diligenter legi Librum, cui titulus: *De Sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu, adversus recentiores Græcos Dissertatio*, ab R. P. Casto Innocente Ansaldo, Ordinis Nostri, in hac Universitate Ferrariensi publico Sacræ Theologiæ Professore concinnatum, in eoque nihil offendi Legibus Christianæ pietatis adversum; imo omnia visa mihi sunt Orthodoxis cum Dogmatibus convenire; quare eundem typis committi posse judico.

Ferrariæ, in Cœnobio S. Mariæ Angelorum.

F. Pius Alexander Bolis
Ord. Præd. Sac. Theol. Magister, & Prior.

P. A Casti Innocentis Ansaldi, Ordinis nostri, Dissertationem *De Sacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu adversus recentiores Græcos* cum attente perlegerim, non modo nihil prorsus aut Orthodoxæ Fidei, aut bonis adversum moribus in ea deprehendi; verum etiam eandem suo Auctore dignam, aliisque doctissimis ejus Operibus parem inveni: Quare ipsam publici juris fieri plurimum interesse arbitror.

Ferrariæ, in Cœnobio S. Mariæ Angelorum.

F. Vincentius Philippus Cattaneus
Ord. Præd. S. Theol. Magister.

